DE

PARTICIPATIONIBVS

SEV

LITTERIS FRATERNITATIS,

QVIBVS AMICI

ET BENEFACTORES A PRÆLATIS

RELIGIONVM ADMITTVNTVR

AD COMMVNIONEM BONORVM

OPERVM ORDINVM.

AVCTORE

V. P. F. ANTONIO RVTEO
Hanno-Montensi, Ordinis Minimorum
S. Francisci de Paula.

MONTIBVS,

Typis IOANNIS LE BRVN, sub signo
Leonis aurei, Anno 1637.

CVM GRATIA ET PRIVILEGIO.

AMPLISSIMO, ET REV.mo

IN CHRISTO PATRI

AC DOMINO

D. RAPHAELI

BACCART

CELEBERRIMI,

ET ANTIQVISSIMI

MONASTERII LOBBIENSIS

COENOBIARCHÆ

VIGILANTISSIMO,

AVITÆ SANCTITATIS

SS. VRSMARI, ERMINI, &c.

IN INFVLA SVCCESSORI

MERITISSIMO,

VACANTIS LEODICÆ

sedis Administratori, &c.

Magni semper habita fuit, REV.mc DOMINE, *à primo Religiosorum Ordinum exordio, bonorum spiritualium cum illis Societas; in-*

tantùm, vt non modò à Religiosis, sed & Regibus, & Imperatoribus omni cum animi deuotione expeteretur. Testis est Fridericus II. Imperator, qui à Prælatis Cisterciensibus in vnum congregatis, bonorum operum Ordinis participationem, mira cum fiducia, & animi demissione requisiuit. Testis Ludouicus Francorum Rex ab ijsdem in Societatem spiritalem receptus. Sed in cælestibus his largitionibus abundantiores simul & frequentiores fuere Benedictini Ordinis Prælati, ac imprimis illius Patriarcha S. Benedictus, qui Tertullum S. Placidi Patrem in bonorum spiritualium Communionem associauit, & Fraternitatem adoptauit, vt qui variis sæculi curis præpeditus, diuinis Religiosorum exercitijs

Priuil. Cist. pag. 240.

D. Bern. ep. 45.

Surius in vita S. Placidi.

citijs vacare non poterat, in eorum tamen pijs communicaret obsequijs. Quid de Theodeberto Rege referam, qui à S. Mauro, non solùm in spiritalem eorum Societatem adunatus est, sed & in Religiosorum numerum adscribi enixè postulauit, diuitijs perituris, æternas has opes, & cælestes thesauros anteponens. à suis maioribus acceptam hanc Societatem mysticam probè nouerat S. Anselmus, Benedictini cæli lumen præfulgidum, qui cum pluribus pietate præcipuis, diuinam hanc inijt communicationem. ea denique fuit communis norma omnium D. Benedicti Cœnobiorum, quæ eleemosynis cælestibus, sæcularium pauperiem ditauerunt, tepiditatem diuinorum radiorum calore accende-

Yepes in Chron. an. 64.

L. 1. ep. 17. 34.

runt, & fragilitatem cælesti gratia confirmarunt. Cum igitur pium hoc bonorum spiritualium fœdus & consortium, à Benedictinis imprimis initum, per alios posteà Religiosos Ordines diffusum sit; effectus illius vberrimi libello hoc exarati ad principium quasi suum redeant, Benedictinumque patrocinium quærant necesse est. Te igitur, PRÆSVL DIGNISSIME, libellus iste meus patronum eligit, antiquissimi, hoc est decem ferè sæculorum Monasterij Lobbiensis Cœnobiarcham venerandum, in quo à primis incunabulis spiritualis hæc communicatio resplenduit, dum plurimas vicinarum Ecclesiarum eleemosynas, S. Petro eius tutelari dicatas, quas Consorti [illegible]cupabant excepit, vt

Chron. Lobbien. an. 966.

in

in ſanctam eorum Societatem & conſortium illi reciperentur, & in Sacrificijs, Orationibus, diuinisque officijs participarent. Te, inquam, ANTISTES VIGILANTISSIME, *qui à primoribus tuis, in ſpirituali hac Communione nuſquàm degenerem te præbuiſti. ſi enim Fuldenſe Cœnobium olim cum omnibus ferè mendicantium Ordinibus Religioſam hanc iniit Societatem: eandem nuper cum noſtro Minimorum Ordine contraxit* R.ma DOM. VESTRA, *dum Benedictini Minimis, & Minimi Benedictinis mutua inter ſe communicatione, & ſancto fœdere, vnà cum pio fenore, mutuis ſe bonis operibus immiſcuerunt. Fælix certè cum Lobbienſi Cœnobio ſpirituale commercium, in quo tam multi Præ-*

Brouuer. l. 2. antiq. Fuld. c. 11.

ſules, ſimul & Monachi mira floruere ſanctitate, & Sanctorum Vrſmari, Ermini, plurimorumque aliorum merita, quaſi in vnum congeſta, magnam ſpiritualium diuitiarum abundantiam parturiunt; & vt maiora in dies, & noua veteribus merita cumulentur, R.ma DOM. VESTRA *illi præfecta eſt, vt Lobbiense Cœnobium tanto ornatum Præſule, & in ſpirituali regularis obſeruantiæ redeintegratione, & materiali domorum reſtauratione ſemper excreſcere valeat; cum enim* R.me DOMINE *te mentis oculis propius intueor, videre mihi videor Iudæos vnà cum Nehemia muros Ieruſalem reædificantes, quorum quiſque,* vna manu faciebat opus, & altera tenebat gladium: *tu enim vna*

2. Eſdræ 4.

manu

manu opus verè laboriosum, [illegible]
rialem, inquam, & miram nouorum
ædificiorum fabricam instruis; alte-
ra verò tenes gladium spiritus, quo
inuisibiles hostes, obseruantiæ regu-
laris re-edificationi obsistentes iugu-
las, & ad internecionem expugnare
conaris; & in hunc finem tui nomi-
nis, RAPHAELIS, inquam, nactus
officium, subditos, non in terram
Rages, sed in optatam cælorum pa-
triam securè & fæliciter perducis; si
verò quorundam in via vitæ ambu-
lantium caligant oculi: tu Medicina
Dei, & paternarum monitionum
felle, velut collyrio salutari mentis
oculos liniens, albuginemque subdu-
cens, luci restituis. si denique tibi
subditos variis vitiorum lenocinijs
dæmon exagitant, pijs Cordis suf-
fumi-

fumigationibus, & sacris orationibus, quas velut incensum in conPs. 140. spectu Dei dirigis, eos expellere non desinis. quid mirum, tu enim RAPHAEL, vnus ex Principibus qui Benedictinæ Lobbiensium Prouinciæ Præsides, eamque ab hostibus defendis & protegis. Verùm si tuos felle illinis, nostrorum Minimorum oculos melle beneuolentiæ iam pridem inungis, dum continuis fauoribus nos R.mæ DOM. VESTRÆ in dies obligatiores efficis. En igitur R.me DOM. pusillum nostræ redamationis pignus, libellus hic meus, qui te comite iter suum securè peraget; te tutore qui cæcus fuit, lucem videbit, & tui nominis lumen præfulgidum in capite gestabit; quo fiet vt illius suffitu, & pio odore oblatrantium calumnias

lumnias extricabit, & pantheram imitatus alios tui nominis ſuaueolentia alliciet. eo fruere, & fælix viue & vale. ſic voueo

REV.me DOMINE

R.mæ Dominationis veſtræ

Addictiſſimus Cliens

Fr. ANTONIVS RVTEVS
Minimus.

E noſtro Fratrum Minimorum Conuentu Montenſi 3. Nonas Decemb. 1636.

INDEX QVÆSTIONVM, ET SECTIONVM.

Quæstio 1. *De antiquitate Participationum.*

Sectio 1. *Quòd vsus harum Participationum colligatur ex veteri testamento.*

Sectio 2. *Quòd communicationes & participationes Religionum ortum habuerint à Christo.*

Sectio 3. *Quòd Apostoli vsi sint his communicationibus & participationibus ad Christi Domini imitationem.*

Sectio 4. *Quòd vsus participationum qui est in Religionibus, ortum habuerit à consuetudine Ecclesiæ, in quâ semper fuit communio bonorum operum inter fideles, significata per nonum Symboli articulum:* Communionem Sanctorum.

Sectio 5. *Quòd ad imitationem Christi, Apostolorum, & totius Ecclesiæ communicationes, & participationes in vsu*

vsu fuerint apud Sanctos Patres.

Sectio 6. *Quoa in singulis Religionibus semper fuerit praxis concedendi litteras filiationis amicis & benefactoribus, reddendo illos participes bonorum spiritualium.*

Quæstio 2. *De differentia inter participationes Religionum, & Communionem Sanctorum.* 45

Sectio 1. *Quid sibi velit Articulus nonus Symboli Apostolorum: Credo Communionem Sanctorum?*

Sectio 2. *Quæ sit differentia inter effectus participationum, & Communionis Sanctorum?*

Quæstio 3. *De differentia inter participationes, & Indulgentias.* 55

Sectio 1. *An Abbates, & Generales Ordinum possint dare Indulgentias ex thesauro Ecclesiæ hauriendas?*

Sectio 2. *An in singulis Religionibus sit thesaurus aliquis particularis conflatus ex superabundantibus satisfactionibus Religiosorum, dispensabilis per Generales Ordinum?* 71

Sectio 3. *Quænam igitur sunt differentiæ inter participationes, & Indulgentias?*

Quæstio 4. *Ad quos pertineat Participationes bonorum operum Ordinis conferre?*

INDEX QVÆSTIONVM,

Sectio 1. *An quilibet Prælatus habeat de iure communi potestatem conferendi Participationes amicis & benefactoribus?*

Sectio 2. *An communicatio bonorum operum quæ fit benefactoribus per Prælatos sit mystica quædam adoptio?*

Quæstio 5. *De potestate quam habent Superiores in fructum bonorum operum suorum subditorum.* §1.

Sectio 1. *Quam potestatem habet Prælatus in applicatione fructus bonorum operum subditorum?*

Sectio 2. *Quam potestatem habet Prælatus in applicatione fructus sacrificij Missæ subditorum?*

Quæstio 6. *De effectibus Participationum.* 100

Sectio 1. *An Prælati per Participationes communicare possint aliis bona opera præterita Religionis?*

Sectio 2. *Quo sensu illi quibus dantur Participationes, dicantur admitti ad participationem omnium Sacrificiorum, Orationum, Vigiliarum, Peregrinationum, Ieiuniorum, Abstinentiarum, Fracaciationum, Disciplinarum, & omnium bonorum operum?*

Sectio 3. *An recepti per Litteras ad consortium bonorum spiritualium Ordinis, verè dici possint*

possint communicare in Meritis totius Ordinis?

Sectio 4. *An inter Religiosos, & receptos ad consortium bonorum operum fiat mutua communicatio?*

Sectio 5. *Quinam effectus per modum impetrationis conferantur per Participationes?*

Sectio 6. *An effectus prædicti per modum impetrationis minuantur in singulis ob pluralitatem participantium?*

Sectio 7. *An recepti ad consortium bonorum operum Religionis, participent etiam in quibusdam satisfactionibus?*

Sectio 8. *An fieri possit vt Superiores Ordinum, omnes satisfactiones superabundantes subditorum, quæ reponendæ essent in thesauro Ecclesiæ, applicent ijs qui recepti sunt ad consortium bonorum operum Religionis?*

Sectio 9. *An de facto satisfactiones superabundantes subditorum quæ rediret in thesaurum Ecclesiæ, à Superioribus applicentur per Participationes, ijs qui recepti sunt ad consortium bonorum operum Religionis?*

Quæstio 7 *De Personis quæ gaudent fructu Participationum.* 156

Sectio 1. *Quinam participant in bonis operibus*

ribus Religionum?

Sectio. 2. *An Participationes prosint etiam post mortem, existentibus in purgatorio?*

Quæstio 8. *Contrà impugnantes Participationes.* 164

Sectio 1. *An Auctor responsorij ad Hermodorum solos abusus Participationum reprehendat?*

Sectio 2. *Quòd æquum sit Regulares per litteras spiritualia bona communicare ijs qui temporalia illis largiuntur.*

Sectio 3. *Quòd æquum sit etiam, vt temporalia ministrent illi, quibus conferuntur spiritualia, & quantus indè fructus oriatur.*

Sectio 4. *Quòd optanda, & quærenda sit hæc Participatio bonorum spiritualium Religionum.*

FACVLTAS

DE PARTICIPATIONIBVS SIV COMMVNIONE BONORVM OPERVM RELIGIONVM.

COMMVNICATIO bonorum operũ Religionum seu Participationes, de quibus hîc est quæstio, sunt litteræ patentes, quæ dantur à Prælatis Religionum, Amicis & Benefactoribus, quibus declarantur & fiunt Participes omnium bonorum spiritualium Religionis, eo modo ac si essent de corpore ipsius Religionis; forma vero communiter est talis: *Tenore præsentium vobis damus plenam communionem omnium Missarum, Suffragiorum, Orationum, Meditationum, Prædicationum, Abstinentiarum, omniumque bonorum quæ per singulos & vniuersos nostræ Religionis Fratres ac Sorores vbique & perpetuò fieri dederit Christus Dominus: vt talibus adiuti Suffragijs ac bonis operibus, hic augmen-*

Quid sint participationes?

tum gratiæ, & in futuro vitam percipiatis æternam. Has autem Prælatus suo signo manuali subsignat Ordinisque sigillo munit.

Hæc materia Participationum cum sit obscura, & à paucis explicata, pleniorem exigit tractationem, quæ hoc libello fiet, ac primò de earum antiquitate dicetur.

QVÆSTIO PRIMA.

De antiquitate Participationum.

SECTIO PRIMA.

Quod vsus harum Participationum colligatur ex veteri Testamento.

1. *Ex epistola Ionathæ 1. Machab. 12. colligitur antiquitas participationum.*

QVod vsus harum participationum ex veteri Testamento colligi possit, constat ex loco huic materiæ valdè accommodato *1. Machab. 12.* vbi Ionathas summus Sacerdos Iudæorum misit Epistolam Spartiatis, quâ amicitiam & fraternitatem renouat, similem ferè ijs litteris quas dare

dare solent Superiores Ordinum Amicis, quos bonorũ operũ Religionis participes reddunt, sic enim habetur: *Ionathas summus Sacerdos & seniores Gentis, & Sacerdotes & reliquus populus Iudæorum Spartiatis Fratribus salutem: iam pridem Missæ erant epistolæ ad Oniam summum Sacerdotem ab Ario qui regnabat apud vos quoniam estis Fratres nostri.* & post pauca: *Nos cum nullo horum indigeremus habentes solatio Sanctos libros qui sunt in manibus nostris, maluimus mittere ad vos renouare Fraternitatem & amicitiam.* & paulò infrà ostendens in quo consistat hæc Fraternitas, addit: *Nos ergo in omni tempore sine intermissione in diebus solemnibus & cæteris quibus oportet memores sumus vestri in sacrificijs, quæ offerimus, & in obseruationibus sicut fas est & decet meminisse Fratrum.* In qua epistola maximam affinitatem reperio cùm litteris nostrarum Participationum: Nam primò, Ionathas vocat Spartiatas Fratres, & dicit se velle renouare amicitiam, & Fraternitatem, quod idem faciunt Prælati Ordinum, nam eos quos recipiunt ad participium meritorum Ordinis vocant Fratres, & incorporant Ordini fiuntque illius membrum sicut ipsi Religiosi. Deinde initur quædam spiritualis Societas, quia sicut in contractu

Similitudo inter litteras Ionathæ, & nostrarum Participationum.

Societatis inter mercatores omnia luera sunt communia: ita per hanc incorporationem fit quædam Societas, & mutua communicatio omnium bonorum operum, quâ omnia suo modo redduntur communia. De hac Societate in passionibus Christi loquitur Apostolus *ad Philip. 3. Ad cognoscendum illum & virtutem resurrectionis eius, & Societatem passionum illius, configuratus morti eius*, id est, *Particeps mortis eius*, vt Chrysostomus in hunc locum.

2. Liranus in dictum locum loquens de epistola Ionathæ, ait: *Iustum est ergo vt Fratres existatis, & transmittere ad nos, & petere quæ vobis necessaria iudicatis; facimus verò & nos idem, & vestra propria simul vt nostra communia reputamus.* En vera Fraternitas & Societas in vtroque.

3. Secundò, Ionathas ostendit in quo consistat hæc Fraternitas & Societas cum reddit eos participes omnium sacrificiorum quæ fiunt omni tempore, & aliarum obseruationum, id est vt interpretatur Liranus; *aliarum oblationum, Vigiliarum, & Orationum.* Et hæc eadem sunt in quibus Prælati reddunt alios participes, scilicet in Missæ Sacrificijs, Vigilijs, Orationibus, &c.

4. Tertiò, Prælati in maius testimonium dictæ

dictæ communicationis id ipsum exprimunt in litteris patentibus, quæ amicis exhibentur, & Ordinis sigillo muniuntur; Idem etiam hic reperitur vt patet ex sequentibus verbis loci citati: *Mandauimus itaque eis vt salutent vos, & reddant vobis epistolas nostras de innouatione Fraternitatis nostræ.* Nec deest sigillum, nam eas sigillatas fuisse refert Iosephus *lib. 12. Antiq. cap. 5.* his verbis: *Portitor litterarum Domitius epistolas vobis defert, signaculum habentes aquilam, draconem vnguibus deportantem.* Ex quo sigillo moralem interpretationem fructus Participationum colligere licet; eos nempe qui ad hanc communionem recipiuntur, varijs gratijs & benedictionibus præueniri, quibus velut aquilæ cælestes draconem infernalem debellant, & victum conculcant, quo facilius salutem consequantur; & hoc est quod in formâ nostrarum Participationum additur: *Vt talibus adiuti Suffragijs ac bonis operibus, hîc augmentum gratiæ, & in futuro vitam percipiatis æternam.*

Denique si amici quandoque in gratiarum actionem pro spiritualibus temporalia Religiosis rependant, iuxta illud Rom. 15. *Si spiritualium eorum participes facti sunt gentiles, debent & in carnalibus ministrare*

niſtrare illis; id ipſum faciunt quod Spartiatæ antea Iudæis in eandem remunerationem præſtiterunt, vt patet ex epiſtolâ reſponſoriâ Oniæ Regis Spartiatarum: *Ex quo hæc cognouimus, benefacitis ſcribentes nobis de pace veſtrâ, ſed & nos reſcripſimus vobis, pecora noſtra, & poſſeſſiones noſtræ veſtræ ſunt.* Sed de hoc vltimo fuſiùs infrà quæſt. 8. Ex quibus conſtat hanc formam procedendi in dictis Participationibus non eſſe nouitiam, ſed in veteri Teſtamento vteumque locum habuiſſe; & Prælatos eâdem quaſi methodo in ijs vti, quâ vſus eſt aliquando Ionathas Sacerdos Iudæorum.

6. *Fructus Participationum colliguntur ex veteri Teſtamento.*

Deinde quoad fructus dictarum Participationum, in vſu etiam fuerunt in veteri lege; nam vnus ex earum fructibus eſt, quod per illas ſoleat Deus varias benedictiones conferre vni ob gratiam aliorum vt infrà dicetur, & id patet *ex cap. 19. Geneſ.* vbi Deus recordatus Abrahæ, liberauit Loth de ſubuerſione vrbium in quibus habitauerat, *cap. 30.* benedixit dominus Laban ad introitum Iacob in domũ eius. *4. Reg. 4.* varia Deus confert beneficia Sunamitidi propter Elizæum quem domi recipiebat. Denique propter Abraham, Iſaac, Iacob, & ſeruum ſuum Dauid plu-

rima

rima populo Israëlitico cõtulit beneficia, tam spiritualia quam temporalia: & propter Moysem varia ab eodem populo flagella, & punitiones quas meruerat auertit. Deinde alius fructus Participationum est, quod Orationes & Suffragia vnius prosint alijs; id patet *Iob 42. Daniel. 9. Machab. 15.* & multis alijs locis, in quibus Orationes vnius, applicantur alijs.

Denique veteris Testamenti erat, qui dicebat *Psal. 118. Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua.* Ex quibus omnibus constat vsum nostrarum Participationum non esse nouitium, sed ex veteri lege tum quoad formam, tum quoad effectus colligi posse.

SECTIO SECVNDA.

Quod Communicationes & Participationes Religionum ortum habuerint à Christo.

DIuus Thomas *3. parte, quæst. 8. art 1.* docet cum communi DD. Christum esse caput Ecclesiæ mysticum, & fideles eius membra; & sicut caput suâ vir- 7. *Christus est caput mysticum Ecclesiæ*

influens in omnia illius membra.

tute influit in omnia membra, quæ ratione istius influentiæ & communicationis participant de perfectione & virtute capitis; ita Christus sic infundit & communicat fidelibus virtutem suæ passionis, vt omnes de eius meritis & satisfactionibus abundè participent, iuxta illud *Joann. 1. de plenitudine eius omnes accepimus*, Christus enim vt ait Apostolus, *1. ad Timoth. 2. dedit semetipsum redemptionem pro omnibus*; omnesque suas actiones, ab instanti conceptionis vsque ad terminum passionis obtulit Deo Patri, & fructum infinitum illius nobis communicauit; vt illius participes efficeremur, vt ait idem D. Th. *Opusc. 6. Bonum Christi communicatur omnibus Christianis, sicut virtus capitis omnibus membris.* De fructu hoc participauerat Apostolus cum dicebat *Hebr. 3. Participes Christi effecti sumus*; id est vt interpretatur Cornelius à Lapide hic: *vitæ, gratiæ, gloriæ, hæreditatis Christi Participes facti sumus.* Hæc autem communicatio & participatio longè superat eam, quæ fit à Prælatis Religionum; hi enim aliquid tantùm suarum satisfactionum, nonnullosque alios effectus alijs communicant, nec aliquid gratiæ habitualis aut meriti vitæ æternæ illis conferunt; Christus vero omne suum meritum

gratiæ

gratiæ actualis, & habitualis, sicut & vitæ æternæ, omnes suas satisfactiones infinitas nobis in integrum communicauit, nec aliquid sibi reseruauit; cum in communi DD. sententiâ sibi nil aliud quam gloriam corporis, & nominis exaltationem meruerit. O Communicationes & Participationes nobis salutiferas quibus ab inferno in in cælum translati sumus, & redemptionis nostræ Lytron gratis tribuitur; *Proinde* (inquit Bernardus *Serm. 4. hebd. Pœnos.*) *Memor ero quamdiu fuero passionum ac laborum eorum quos pertulit in prædicando, fatigationum in discurrendo, tentationum in ieiunando, vigiliarum in orando, lacrymarum in compatiendo; recordabor etiam dolorum eius, conuitiorum, sputorum, colaphorum, subsannationum, exprobrationum, clauorum, horumque similium, quæ per eum, & super eum abundantiùs transierunt.* Hæc igitur sunt omnia Christi merita in quibus participamus, & quæ per eum & super eum, vt inquit, id est, ad nos abundantiùs per Communicationem transierunt. hæ sunt igitur infinitæ Communicationes & Participationes, quas à longè imitantur Prælati Religionum, quod vt magis in particulari percipiatur.

Notandum Prælatos iuxta normam 8.

commu-

Fructus quorum Christus fecit nos Participes.

communem, dare alijs communicationem septem præcipuè bonorum spiritualium, scilicet, Missarum, Orationum, Suffragiorum, Meditationum, Prædicationũ, Peregrinationum, Abstinentiarum, & omnium bonorum, & hæc omnia ex imitatione Christi, licet valdè remotâ faciunt; Nam primò si Missæ sacrificium quod in vltimâ Cœnâ instituit & obtulit, si sacrificium cruentum passionis suæ attendamus, reperiemus eum vtriusque sacrificij fructum infinitum in integrum nobis communicasse, & hâc communicatione Participes illius nos effecisse. Secundò. Quoad Orationes & Suffragia, fecit non solùm Apostolos participes suarum Orationum vt sæpiùs in Euangelio, sed & totum mundum cum sæpissimè pernoctauit in oratione Dei, rogans Patrem pro totius mundi salute, & suæ passionis efficacitate, idque maximè in oratione fusâ in horto Gethsemani. Tertiò. Quoad Contemplationes, Prædicationes, Peregrinationes & Abstinentias, non solùm ea omnia hominibus communicauit, sed ab instanti Conceptionis omnes actiones suas pro salute mundi Deo Patri obtulit; itaut Vigiliarum, silentij, laborum, improperiorum, famis, sitis, & omnium aliorum bonorũ operum totius

totius vitæ pluſquam abũdè participes nos effecerit. audi Auguſtinum *in appendice Serm. de diuerſis, Serm. 59.* vbi introducit Chriſtum loquentem & oſtẽdentem quomodo omnium quæ in hâc vitâ egit homines participes effecerit: *In præſepio,* inquit, *expoſitus, & pannis inuolutus iacui; Infantiæ contumelias, humanoſque dolores, quibus tibi ſimilis fierem, ad hoc ſcilicet vt te mihi ſimilem facerem pertuli; irridentium palmas & ſputa ſuſcepi; acetum cum felle bibi, flagellis cæſus, vepribus coronatus, cruci affixus, vulnere perfoſſus; vt tu eripereris, morti animam in tormentis dimiſi.*

Neque verò Chriſtus hâc omnium meritorum applicatione contentus fuit, ſed illius chirographum etiam nobis exhibuit; ſicut enim per peccatum quaſi per quendam chirographum diaboli ſeruituti obſtricti eramus; iuxta illud Auguſtini *tract. 52. in Ioannem; Poſſidebat diabolus genus humanum, & reos ſuppliciorum tenebat chirographo peccatorum.* Quem Chriſtus ſuo ſanguine deleuit, & tulit de medio affigens illud cruci, iuxta Apoſtolum *ad Coloſſ. 2.* ita per eandem ſuam paſſionem dedit nobis chirographum ſalutis, in quo ſuorum meritorum participationem nobis largitus eſt; eum autem eius Secretarius 9.

& Pro-

& Propheta Isayas scripsit, & nobis exhibuit, *cap. 53.* vbi 1. nobis communicantur eius dolores, & languores, cum dicitur: *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.* 2. vulnera; *ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.* 3. liuores: *liuore eius sanati sumus.* 4. silentium eius: *non aperuit os suum, sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.* 5. percussuræ & alapæ: *propter scelus populi mei percussi eum.* Denique communicantur nobis eius orationes, *peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogauit;* hoc enim caput Isayæ (vt omittam alia Scripturæ loca) habet quasi rationem cuiusdam chartæ & chirographi quo Christus per suum Prophetam velut per secretarium reddit nos participes omnium suorum meritorum, eo modo quo faciunt Prelati regulares suis chartis: hîc igitur est chirographus nostrarum participationum, virtute cuius deletus est chirographus damnationis; super hâc chartâ promissoriâ omnes iusti veteris Testamenti facti sunt participes meritorum Christi, recipientes gratiam, & salutem in fide passionis eius. hâc Participatione gaudere cupiebat Apostolus cum

diceret

diceret *1. Cor. 9. Omnia facio propter Euangelium vt particeps eius efficiar, & ad Philip. 3.* omnia arbitratur vt ſtercora, ad cognoſcendum Societatem paſſionum Chriſti, id eſt, vt Veleſquez in eum locum ait: *Vt cognoſcam quomodo Particeps & cohæres fio meritorum, atque ſatisfactionis quâ Chriſtus Deum placatum nobis reddidit mortem obeundo.* has Participationes extendi ad omnes gentes oſtédit idem Apoſtolus *ad Epheſ. 3. reuelatum eſt ſanctis Apoſtolis, & Prophetis in ſpiritu, gentes eſt cohæredes, & concorporales, & com-Participes promiſſionis in Chriſto Ieſu per Euangelium.* Super hâc re exclamat Granatenſis *tract. 3. Memorial. cap. 10. Medit. 2. O admirabilem Communicationem! ô pretioſiſſimam Aſſociationem, contractum, & chartam Confraternitatis! ô Societatem theſaurorum ineffabilium!*

Cum igitur, vt *1. Petri 2.* dicitur, *Chriſtus paſſus ſit pro nobis, nobis relinquens exemplum, vt ſequamur veſtigia eius.* Cum vt ait Gregorius *Hom. 17. in Euang. Ipſa Chriſti facta, præcepta ſint, quia dum aliquid tacitus facit, quid agere debeamus innoteſcit.* Cum, inquam, Chriſtus ex infinitâ ſuâ charitate nobis omnem fructum paſſionis ſuæ communicarit: non debet videri mirum, ſi ad eius imitationem: licet valdè remotam, 10.

Prælati

Prælati Religionum quosdam amicos & benefactores bonorum spiritualium Religionis reddant participes, id enim eorum charitatem plurimùm commendat ; nec est opus præsumptionis vt volunt hęretici qui Religiosorum Participationes rident, quibus os satis obturatur citatis testimonijs, alijsque pluribus infrà dicendis.

SECTIO TERTIA.

Quod Apostoli vsi sint his Communicationibus & Participationibus ad Christi Domini imitationem.

11. NOn est difficile ostẽdere vsum Communicationum & Participationum fuisse familiarem Apostolis, quod maximè ex epistolis Pauli colligere licet, in quibus sunt multa valdè affinia ijs quæ fiunt hodie à Prælatis regularibus in Participationibus: ad cuius maiorem declarationem conferenda sunt verba quibus vtuntur Prælati, cum verbis Apostoli: hâc enim formâ vtũtur quidam Prelati in suis Participationibus: *Ego Frater N. &c. deuotionem*

nem ſinceram quam ad noſtrum habetis ordinem ob Chriſti reuerentiam, & ſanctæ Virginis Matris eius diligentius attendens: omnium Miſſarum, Orationum, &c. Participationem perpetuam vobis concedo. Audite iam Apoſtolum *ad Epheſios 1. Ego*, ſcilicet Paulus, *audiens fidem veſtram quæ eſt in Domino Ieſu, & dilectionem in omnes Sanctos, non ceſſo gratias agens pro vobis, memoriam veſtri faciens in orationibus meis, &c.* Quæ eſt differentia inter, ego Frater N. attendens deuotionem ſinceram ad ordinem noſtrum, ob Chriſti reuerentiam & Matris eius. Et, ego Paulus audiens fidem veſtram quæ eſt in Domino Ieſu, & dilectionem in omnes Sanctos. Deinde Prælati communicant fructum Miſſarum, Orationum, &c. Paulus memoriam eorum facit in orationibus, vt Deus det illis ſpiritum Sapientiæ, illuminatos oculos cordis. Prælati concedunt Participationem perpetuam: Paulus non ceſſat gratias agere. Eſt igitur non modica ſimilitudo inter verba Apoſtoli quibus Communicat Epheſijs fructum ſuarum Orationum; & formam quâ vtuntur Prælati in ſuis Participationibus: Paulus igitur formam dedit Prælatis regularibus communicandi participationes fidelibus per chartas & epiſtolas, qui idipſum fecit

Forma Participationum regularium colligitur ex verbis Apoſtoli.

fecit Ephesijs epistolâ citatà, sicut & pluribus alijs epistolis; nam *ad Colos. 1.* simile quid habet; *Gratias agimus Deo & Patri Domini nostri Iesu Christi semper pro vobis orantes, audientes fidem vestram in Christo Iesu, & dilectionem quam habetis in Sanctos omnes.* & paulò post: *ideò & nos ex quâ die audiuimus, non cessamus pro vobis orantes, & postulantes, vt impleamini agnitione voluntatis eius in omni Sapientiâ, & intellectu spirituali, vt ambuletis dignè Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes.* En fructus nostrarum Participationum qui communiter etiam in illis additur: *Vt talibus adiuti suffragijs ac bonis operibus, hic augmentum gratiæ, & in futuro vitam percipiatis æternam.* Deinde *ad Thessal. 1.* sic loquitur: *Gratias agimus Deo semper pro omnibus vobis, memoriam vestri facientes in orationibus nostris sine intermissione.* Idem habet initio epistolæ 2. ad Timotheum, ad Philemonem, & ad Philippenses. Quibus verbis indubiè nil aliud intendebat Apostolus, quam reddere eos Participes omnium suarum Orationum, & hoc continuò, vt ait; quod & modò Prælati regulares faciunt.

12. *Apostolus reddit alios participes non*

Apostolus verò suis epistolis non solùm reddebat alios participes Orationum; sed & omniũ laborum, & bonorũ operum: hic enim

enim habet *ad Philippenses 1. gratias ago Deo meo in omni memoriâ vestri semper in cunctis orationibus meis, pro omnibus vobis, cum gaudio deprecationem faciens super Communicatione vestrâ in Euangelio Christi.* Hæc autem Communicatio Euangelij, inquit Cornelius à Lapide hic: *est cooperatio & Participatio laborum & passionum, quas Paulus & Apostoli pro hâc Euangelij propagatione vel sustinebant, vel suscipiebant, in quibus Communicabant, & Participabant Philippenses.* Quod magis explicat paulò post Apostolus: *Eo quod habeam vos in corde, & in vinculis meis, & in defensione, & confirmatione Euangelij socios gaudij mei omnes vos esse.* Græcum habet consortes, & ex æquo participes gratiæ, ortæ scilicet ex vinculis meis, & laboribus, ac difficultatibus susceptis pro defensione, & confirmatione Euangelij; vnde notat Velasquez hic Paulum non solùm optare suos Philippenses habere similes in tribulationum tolerãtiã, sed etiam, quæ ipsius charitas erat, *quidquid præmiorum expectaret ex tot vinculis & crucibus, hoc indicaret ipsis commune, vnà cum illis habere pro indiviso.* Videtis quomodo Philippenses omnium laborum & meritorum suorum participes ostendat. Deinde quis vnquam Prælatus regularis

solùm orationum, sed & bonorum operum.

promisit Communicationem eorum quæ Paulus *ad Coloss. 1. gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius quod est Ecclesia.* & *1. Corinth. 4. Omnia enim propter vos, vt gratia abundans per multos in gratiarum actione abundet in gloriam Dei.* Ambrosius *in cap. 4. epist. 2. ad Corinth.* Conformiter ad dicta sic ait: *Quos enim Participes vult habere & ad præsentes passiones pro Christo, & ad futuram vitam, non vtique illos abijcit, sed vt Participatione dignos se faciant exhortatur.*

13. Neque solus Paulus inter Apostolos communicauit alijs suas orationes & merita, sed & Petrus, & Ioannes de his Communicationibus & Participationibus sub nomine Fraternitatis, & Societatis loquuntur. hinc *1. Petri 2. Fraternitatem diligite.* & *epist. 2. cap. 1. In pietate autem amorem Fraternitatis, in amore autem Fraternitatis charitatem.* & *1. Ioannis 1. Vt & vos Societatem habeatis nobiscum, & Societas nostra sit cum Patre, & cum Filio eius Iesu Christo.* Quem locum D. Thomas ibidem sic interpretatur: *Vt & vos habeatis Societatem in præsenti in Communione Ecclesiæ quoad fidem, & bona opera: & Societas nostra sit in futuro non tantum hominum, sed ad inuicem cum*

cum Deo, scilicet in gloriâ. & paulò post: *Sic ergò per Societatem sanctam transitur ad Societatem diuinam: ergò per nostram Societatem, transibimus ad Societatem Dei: prima est gratiæ in præsenti, secunda gloriæ in futuro.* De hâc Fraternitate, & Societate in eum sensum loquitur Chrysostomus hom. 14. imperf. *Pro se orare necessitas rei cogit; pro alijs autem charitas Fraternitatis hortatur: dulcior enim est oratio ante Deum, non quam necessitas rei transmittit, sed quam charitas Fraternitatis commendat.* & Ambrosius *lib. 1. de officijs, cap. 16. Secundùm Dei voluntatem, vel naturæ copulam, inuicem nobis auxilio esse debemus, certare officijs, velut in medio omnes vtilitates ponere, & vt verbo Scripturæ vtar, adiumentum ferre alter alteri, vel studio, vel officio, vel pecuniâ, vel operibus, vel quolibet, vt inter nos Societatis augeatur gratia.*

Nec est quod dicat aliquis Paulum, & alios Apostolos solùm communicasse fructum qui alijs proueniebat ex generali Communione Sanctorum. Contrà enim constat ad participandum ex fructu orto ex Communione Sanctorum non requiri specialem intentionem, aut applicationem operantis, quæ tamen hic reperitur; neque per hoc specialis aliqua gratia facta

14. *Reiectatio obiectionis.*

illis fuisset, quæ non fieret omnibus fidelibus, quam tamen indubiè intendebant Apostoli per speciales illas promissiones, & applicationes. Deinde Paulus, & alij Apostoli varios discipulos sub se habebant, quorum erant veri Prælati, proindeque participationem in eorum bonis operibus alijs communicare poterant. Denique Nauarrus *Miscell. 11. de orat. num. 4.* rectè ostendit ex Thomâ Waldensi Apostolos specialem communicationem bonorum operum fecisse, cum ait: *Paulus, Ioannes, & Iudas Apostoli, & Timothæus, & Siluanus Communicarunt specialiter suas orationes, suaque bona opera quibusdam Particularibus Christianis sibi amicioribus.*

15. Ex dictis constat Communicationibus orationum & meritorum vsos fuisse Apostolos, ad imitationem Christi Magistri, qui sicut omnia sua merita hominibus Communicauit ex infinitâ suâ charitate: ita ex eâdem charitate alios suarum orationum, & passionum participes effecerunt Apostoli; quod & faciunt Prælati regulares ad eorum omnium imitationem: hæc enim charitas, quâ alios nostrorum bonorum operum participes reddimus, plurimùm actiones nostras eleuat. hinc Chrysostomus *hom. 79. ad popul. Anthio. Nullum*

meritum

meritum esse magnum posset, nisi lucrum & alijs Communicaret, sine iciunans maneas, sine dormias humi, sine famillam comedas, sine lugeas continuè, & nulli prosis alteri, nil magnum efficis.

SECTIO QVARTA.

Quod vsus Participationum qui est in Religionibus ortum habuerit à consuetudine Ecclesiæ, in quâ semper fuit Communio bonorum operum inter fideles, significata per Nouum Symboli articulum: Communionem Sanctorum.

TAnta erat initio nascentis Ecclesiæ inter fideles vnio charitatis, vt illis omnia præter vxores (vt ait Tertulianus) essent communia: inita enim fuit inter illos communis Societas, non solum in temporalibus, sed & spiritualibus, quâ omnia bona eorum opera fiebant commu- 16.

nia, & ratione spiritualis illius Fraternitatis, se mutuò Fratres nominabant. in quo autem Fraternitas hæc cõstitueretur, ostendit Albaspinus *lib. 1. Obseruat. 19. hoc ius*, inquit, *Fraternitatis in quâdam bonorum, precum, meritorum, voluntatis denique, ac animæ coniunctione, Societate, & communione consistebat.* & idem *Obseruat. 17.* Docet osculum pacis in Sacrificio Missæ, esse Symbolum Communionis; & addit Tertulianum docere dicto osculo quemque fidelem in partem meriti, & gratiæ Sacrificij Missæ cooptari.

17. *Quid Communio Sanctorum in Ecclesiâ?*

18. *Laus Communionis Sanctorum ex Nauarro.*

Hanc Communionem, seu Confraternitatem institutam esse à Deo docet Nauarrus *de Oratione & horis Canonicis, cap. 20. num. 56.* & in eius laudem sic exclamat: *O fælicem Societatem, excellentem Fratriam, siue Confraternitatem, expertem vitiorum, ornatam virtutibus, in quâ nulla inuidia, ambitio, hypocrisis, præsumptio, vel alia actio mala saltem mortifera inuenitur, in quâ clerici & laici, sæculares & religiosi, diuites & pauperes, coniugati & soluti, citramontani & vltramontani, Hispani & Galli, Germani & Poloni, Angli & Scoti, domini & serui, heri & famuli, omnes demum accumbunt vni mensæ, omnibus propinantur ijdem cibi, licet aliquot eorum abundantiùs alijs, quàm alijs. in quâ plures*

pluris fit cor consciſſum dolore peccatorum, quàm veſtis lacera, & ſordidè refecta, & calceus ſenectratus, licet & hæc ſincerâ mente geſtata multùm eam ornent; pluris præcordia charitate etiam vſque ad inimicos extenſa, quàm veſtes holoſericæ, panneaúe pretioſæ ſolum verrentes: quamuis & hæc cum rationi conſonant, eam decorent. infalices profectò & ignominioſi fuerimus, qui in multis fratrijs, ſine Confraternitatibus, & Societatibus honorificis deſcripti, immò & probatas religiones profeſſi, quos coronæ raſæ, barbæ reſectæ, veſtes diuerſæ tacitè clamitant in eâ conſtitutos, ſi ab ea ſumus excluſi; cum tamen in ea inueniantur multi milites armati, negotiatores diuites, coniugati mille curis diſtracti, agricolæ ſuis logonibus feſſi, & alij mechanici ſuis artibus noctes & dies exercendis dediti, immò & ſerui contumelijs dominorum nunquam non affecti. Hæc ille, quibus verbis fusè oſtendit præſtantiam Communionis bonorum operum quæ ſemper fuit in Eccleſia, & ſignificatur per nouam Symboli articulum, Communionem Sanctorum: Sicut igitur in totâ Eccleſiâ ſemper fuit generalis hæc commu nio omnium bonorum operum inter omnes fideles, tanquam inter diuerſa eiuſdem corporis myſtici membra: ita ſimilis ſem-

per fuit in ſingulis religioſis Ordinibus Communio bonorum operum inter omnia eorumdē ordinū membra, & alios ordinibus ſpecialiter ad id aſſociatos: quia ſicut omnes fideles vnum corpus Eccleſiæ conſtituunt; ita ſub illo corpore diuerſæ cōgregationes religioſæ diuerſa quaſi partialia corpora, corpori tamen Eccleſiæ ſubordinata componunt; ſicque ad imitationem generalis Communionis Sanctorum, in ijs congregationibus religioſis, reperitur etiam ſpecialis quædam communicatio bonorum operum, præter prædictam generalem. Sed de hâc generali Communione Sanctorum fuſiùs agemus, *quæſt. 2.* vbi oſtendemus differentiam inter hanc generalem Communionem, & aliam ſpecialem quæ eſt in ſingulis Ordinibus religioſis de quâ loquimur; ſufficit autem hîc oſtendiſſe ſpecialem hanc Communionem religionum fundamentum habere in generali Communione Sanctorum explicatâ per nouum Symboli articulum, Communionem Sanctorum.

SECTIO

SECTIO QVINTA.

Quod ad imitationem Christi, Apostolorum, & totius Ecclesiæ Communicationes, & Participationes in vsu fuerint apud Sanctos Patres.

CVm Christus, & Apostoli, immò & totum corpus Ecclesiæ, suarum orationum & bonorum operum Communicationem alijs fecerint: eorum vestigijs inhærentes Sancti Patres ab initio nascentis Ecclesiæ idem practicarunt, qui mos ad nos vsque peruenit; & in huius rei probationem nonnullos Patres breuitatis causâ ex omnibus ferè sæculis selegi. S. Ignatius qui circà annum 71. floruit, *Epistolâ 11. ad Polycarpum* sic ait: *Fruar vobis per omnia, quandoquidem Antiochenâ Ecclesiâ quæ in Syria est, pacem est nacta per orationes vestras, & ego tranquilliori animo factus sum in securitate Dei, si per passionem Deum assecutus fuero, vt discipulus inueniar per orationes vestras.* 19.

vestras. & *Epistolâ* 5. *ad Trallenses: Permanete in mutuâ concordiâ, & oratione; orate pro me, qui in Dei misericordiâ charitate vestrâ indigeo.* Similia habet in alijs epistolis.

S. Martialis qui eodem cum Ignatio tempore vixit, *Epist. 2. ad Tholosanos cap. 24.* si illius est, ait: *Oratio nostra continua pro vobis est ad Deum, vt hîc & in futuro à malis omnibus vos eripiat; absens verò corpore erga vos eandem dilectionem possideo, & ideo maximè, quia scio eam vos erga memetipsum possidere.*

20. Cyprianus qui anno 250. vixit, *Epist. 1. ad Cornel. Papam* ait: *Cognouimus Frater charissime fidei ac virtutis vestræ testimonia gloriosa, & confessionis vestræ honorem sic exultanter accepimus, vt in meritis ac laudibus vestris nos quoque Participes ac socios computemus.*

Basilius anno 370. *Epist. 73.* scribens Monachis suis ait: *Misimus Fratrem nostrum, &c. qui vobis desiderium nostrum quo erga vos afficimur exponat; nam noctes atque dies Dominum precamur, vt probati habeamini, quo & nobis fiducia sit in die Domini nostri Iesu Christi per vestram salutem.*

Augustinus anno 400. *lib. de sanctâ Viduitate in fine*, loquens Virginibus professis in domo Iulianæ, ait: *Obsecro vos per illum à quo donum hoc accepistis, & huius*

doni

doni præmia speratis, vt me quoque orationibus vestris meminerit is inserere cum totâ vestrâ domesticâ Ecclesiâ.

Gregorius Magnus anno 600. *lib. 11. Regist. Epist. 8.* Priuilegia contulit Monasterio S. Martini in suburbio Augustodunensi, vt fieret particeps bonorum spiritualium illius, sic enim ait: *Quâ de re vt nos bonis vestris in aliquo Participes haberemur, priuilegia locis ipsis, pro quiete, & munitione illic degentium, sicut voluistis indulsimus.*

Rodericus *tom. 1. qq. regul. q. 33. art. 2.* refert S. Ioannem Episcopum Amatensem antiquissimum cepisse concedere litteras per quas applicantur suffragia subditorum.

Sed omnium clarissimè & frequentissimè hâc de re loquitur Anselmus verè humilis Episcopus Cantuariensis circa annum 1080. Nam *lib. 1. Epistolarum Ep. 37.* quæ est ad Frodelinam, pro titulo sic habet: *Precatur sanctissimæ mulieris Participare orationibus & meritis.* & in epistolâ dicit: *Vt qui bonis meis meritis me video valdè indigere, vestris me possem aliquantulùm per Charitatis Communionem miscere.* & infrà: *Mitto vobis litteras meas per confidentiam mutuæ dilectionis; & quidem Domina charissima* 21.

rissima ego scio in me nihil vel minimum aliquid esse quod dignum sit ad augmentum vestræ sanctitatis expectari: quoniam tamen vestris maioribus bonis desidero Participare, nescio quâ fronte possim vobis Participationem meorum bonorum qualiacumque sint, cum eam desideretis negare: SI QVID IGITVR BONI IESVS CHRISTVS DOMINVS NOSTER IN ME OPERATVS, AVT OPERATVRVS EST, ORO EGO, ET CONCEDAT IPSE SECVNDVM VERAM DEI ET PROXIMI CHARITATEM, VT VOBIS NON ALITER QVAM MIHI IMPVTETVR. *Peto etiam vt vestra beatitudo me in eandem charitatem suorum Meritorum Communioni aliquatenus dignetur admittere.* & in fine: *Deus sic invicem me vestri, & vos mei memores in suo amore faciat, vt & illi placeat, & nobis ad vitam prosit æternam.* Idem *Epistolâ 3. ad Robertum: Quapropter cum orationes meæ tales sint, vt vel nihil, vel parùm prosint mihi, quas tuas esse proposui offerre non præsumo tibi, sed precor vt fervore tuarum accendantur, quatenus efficaciter mihi prosim, & tibi:* SIC ENIM CORAM DEO VVLT COR MEVM, ET SIC AD DEVM ORAT OS MEVM; VT QVICQVID PRODESSE DEBET MIHI,

MIHI, NON MINVS PROSIT TIBI, QVAM MIHI. & infrà: *Si enim oraueris pro proximo, scio verum esse quod tibi retribuetur; & si impetraueris, scito tuum esse quicquid mihi tribuetur. quod vt efficacius efficias precor obsecro vt illi sancto viro Anastasio, cuius desiderabili Societate frueris, me commendando, quantum absentem postea notum facias, vt & illum amicum tuum meum Communices, & me seruum tuum cum illo Participes.* & *Epistolâ 17. ad Guilelmum & Rogerium.* cuius titulus sic habet: *Suarum orationum Communionem pollicetur.* vbi ait: *Dominus & amicus noster Ermerna vestram mihi postulationem, vt vestri memor in orationibus meis essem, tantâ supplicatione retulit, vt & pudor me cogeret dare quod tam obnixè petebatur, & conscientia prohiberet, quoniam non erat in me quod sperabatur. cum igitur & libenter, & verecundè pleniùs concessissem, quod priùs quoque faciebam.* & infrà: *Idem amicus noster, & vester poposcit instantiâ, quatenus hoc vobis nostra testaretur epistola.* SVPERNA IGITVR ANNVENTE CLEMENTIA ME PRO VOBIS ORATVRVM PERMITTO, ET SI QVID BONI DIVINVS IN ME RESPECTVS OPERATVR, EIVS VOS MECVM PARITER PARTICIPES

IN

IN VERA CHARITATE PROMITTO. Quid clariùs explicare posset antiquitatem Litterarum filiationis, seu Participationum, quam hæ Anselmi litteræ quibus sua bona opera alijs cõmunicat? Idem *Epist. 77. ad Adelam Comitissimam* ait: *Ex quo parvitati meæ vestra celsitudo innotescere dignata est, semper eam coram Deo volui Participem existere nostrarum orationum.* Similia habet pluribus alijs locis; & initio suarum epistolarum, imitatus Apostolum, sæpiùs promittit Participationem orationum, vt *lib. 3. Epist. 35. 36. 40. &c.*

Exstat etiam Epistola Lanfranci prædecessoris Anselmi in Episcopatu, ad eundem Anselmum, quæ est inter illius 22. vbi ait: *Sic ergo orate, sic ab amicis ac familiaribus vestris oratum iri deposcite, quatenus, &c.*

22. Simile quid habet Iuo Carnotensis Episcopus circa annum 1090. Epistolâ ad supradictam Adelam: *Iuo Carnotensis humilis Carnotensis Ecclesiæ Minister, Adelæ Nobili Comitissæ cum fideli oratione seruitium.* & infrà petitione expositâ addit: *Pro hoc enim à Fratribus prædictæ Ecclesiæ* (scilicet S. Ioannis Baptistæ, cuius tutationem contra incursantes rogauerat) *habetis munus orationum, & à me fidele seruitium.*

S. Bernardus anno 1130. *in Epistolâ 204. ad Abbatem*

ad Abbatem S. Albini ait: *Adde obsecro ad ea bona, quæ abs te, & de te nobis assiduè veniunt, tuas, tuorumque pro nobis orationes.* & *Epist. 221. ad Ludouicum Regem Francorum: Et ego quidem qui me memini præter quotidianas preces, quas pro pace & salute vestrâ, atque regno, coram Domino supplex ipso teste fundebam.* Inter Epistolas eiusdem Bernardi exstat 45. Stephani Abbatis Cistercienſis ad eundem Ludouicum Regem, sub hoc titulo: *Eximio Regi Francorum Ludouico Stephanus Abbas Cistercienſis, totusque Conuentus Abbatum, & Fratrum Cistercienſium salutem,* & infrà. *Vos quonam consilio nostris pro vobis orationibus (quas si recolitis, olim tam humiliter requisistis) modò tam acriter repugnatis? quâ enim iam fiduciâ manus pro vobis leuare præsumimus ad Sponsum Ecclesiæ, quam ita contristastis?* & pauló post: *Hæc ita vobis & pro vobis audacter quidem, sed amanter intimare curauimus, monentes & rogantes per illam inuicem amicitiam nostram, & Fraternitatem, cui vos satis dignanter sociastis, sed nunc ipsam graniter læsistis, quatenùs à tanto malo citiùs desistatis. alioquin si non meremur exaudiri, sed contemnimur & nos Fratres & amici vestri, & qui quotidie oramus pro vobis, & filijs vestris, & regno, &c.* Quibus verbis patet dictũ Ludouicum Regem

per

per litteras Fraternitatis seu filiationis, Congregationi Cistercienſi fuiſſe ſociatum; quam Meritorum Societatem idem Ludouicus Rex cum Eccleſiâ Cătuarienſi obtinuit, nam de illo in libro obituum Eccleſiæ Cantuarienſis ſic habetur: *Obijt Ludouicus Rex Francorum piiſſimus, Frater, & benefactor noſter.* In quo autem hæc Fraternitas conſiſtat, litteris ad eam antea miſſis ab eâdem Eccleſiâ ſic exprimitur: *De communi voluntate & aſſenſu omnium noſtrum vos, & Dominam Reginam, hæredemque veſtrum, & veſtros, beneficiorum Cantuarienſis Eccleſiæ Participes plenius eſſe conceſſimus, &c.* Moris autem erat apud plurimas Religiones, vt cum quis qui ad Participationem bonorum ſpiritualium aſſumptus erat, moriebatur, in quandam defunctorum ephemeridem inſereretur, vt recordarentur Fratres eorum cum quibus aliquando inita fuerat ſpiritualis hæc Societas: eâ igitur ratione in dictæ Cătuarienſis Eccleſiæ Fraternitatem adſcriptus Ludouicus Rex, in libro obituum eius dies inſcriptus eſt; quod fieri ſolitum fuiſſe in Monaſterio Fuldenſi docet Brouuerus *lib. 2 Antiquitatum Fuldenſium, cap. 18.* Ex quibus omnibus liquidè conſtat quanta fuerit in Sanctis Patribus omni tempore ab ineunte

Eccleſiâ

Ecclesiâ in Participationibus meritorum & suffragiorum deuotio, & diligentia; & quomodò tum viuâ voce, tum etiam scriptis per epistolas Participationes & rogauerint, & communicauerint.

In maiorem autem confirmationem nostrarum Participationum habemus, non solùm Sanctos Patres, sed & Doctores antiquos: D. Thomam circa annum 1200. qui *Opusculo 6. in Symbolum Apostolorum*, de his Participationibus loquitur; & *in 4. dist. 20. q. 1. art. 4.* & exinde *in supplemento q. 26. art. 1.* Thomas Waldensis circa annũ 1420. contra Wiclephum in has Participationes insultantem tractatum edidit *tomo 3. de Sacramentalibus titul. 10.* quem intitulauit, *de meritorum & suffragiorum per litteras Participatione*, vbi doctissimè, vt solet, hâc de re differit; & antiquitatem eius demonstrat, hæreticosque contra insurgentes reprimit. Ioannes Gerson post annum 1430. scripsit Epistolã ad Carthusianos quæ habetur 2. parte operum eius, quâ declarat se factum Participem bonorum operum religionis, de quâ sectione sequenti. Paludanus *in 4. dist. 20. q. 3.* de eâdem re loquitur, sicut & alij communiter Doctores veteres & noui vbi de indulgentijs.

23. *Confirmantur Participationes ex Doctoribus.*

Cum igitur bonorum spiritualiũ Com-

municationes, & Participationes ortum habuerint non modò in veteri Testamento, sed etiam à Christo, & Apostolis, immò & ab ipsâ Ecclesiâ, & Sanctis Patribus, vt probatum est, non est mirum quod Prælati regulares semper illis vsi fuerint, easque amicis & benefactoribus in testimonium beneuolentiæ conferant.

SECTIO SEXTA.

Quod in singulis Religionibus semper fuerit praxis concedendi litteras filiationis amicis & benefactoribus, reddendo illos Participes bonorum spiritualium.

24. *Probantur Participationes ex regulâ S. Benedicti.*

QVod Ordines Religiosi sua suffragia & bona opera alijs communicare consueuerint, constat, tum ex sectione præcedenti vbi plures Abbates & Monachos citauimus; tum ex singulis Ordinibus in particulari. Regula S. Benedicti *cap. vltim. constit. vltim.* de dictis Participationibus sic loquitur: *Charitatis autem affectum erga*

erga Fratres nostræ Congregationis exercere volentes, vniuersos parentes, fratres, & sorores fratrum nostrorum præsentium & futurorum, ad Participationem omnium bonorum quæ in nostrâ fiunt, & fient Congregatione, sicut fit iuis quibus litteræ gratiosæ conceduntur admittimus. Surius in vitâ S. Placidi refert Tertullum Patricium Romanum S. Placidi Patrem rogasse S. Benedictum, quatenus eũ Fratres dignarentur in suam recipere Societatem, & bonorum operum Communionem; & in gratiarum actionem plurimam possessionem contulit Monasterio. Antonius Yepes Abbas Vallisoleranus in Chronicis Ordinis anno à S. Benedicto 64. dicit Theodebertum Galliæ Regem rogasse S. Maurum vt inter Ordinis Confratres reciperetur, & in Cathalogo religiosorum adscriberetur. Brouuerus lib. 2. Antiquitatum Fuldensium cap. 11. docet Fuldense Monasterium S. Benedicti, iniisse Societatem bonorum operum cum alijs plurimis Monasterijs, immò cum externis & mendicantibus, sic enim ait: Lectoris otio abutar si enumerem illustria quaque Monasteria, quæ fœdere Sanctissimo huic Congregationi iuncta, orationum & piorum operum vtili florucre commercio, iniitâ Societate, quâ eandem vtilitatem, ac remunera-

rationem esse decreuerunt vniuscuiusque, vt vniuersorum. cuius quidem consociationis vsitatæ vinculum non ad eiusdem modò familiæ, sed diuersæ, exteræ, propinquæ consortium iuxtà transire placuit. atque hinc mendicantium quos nuncupant, seu præcellentium membrorum ad se rapere sancta studia, & incredibiles labores, curæ etiam fuit: quippe S. Dominici, Francisci, Heremitarum S. Augustini, & Carmelitarum vniuersa opera, iustis initis, pijsque fœderibus ad sua commoda maiores traduxere. Addit etiam inijsse eandem Societatem cum Patribus Societatis Iesu. Idem Brouuerus ibidem narrat, miram deuotionem cuiusdam Eggehardi Presbiteri erga has Participationes, quæ in antiquis Monasterij Fuldensis chartis reperitur in hæc verba: *Is de Præpositura S. Xisti in Holtzkiricha, auditâ famâ summè bonæ Religionis Fratrum de Monasterio S. Bonifacij quod situm est Fuldæ in honore S. Saluatoris; & quia diuinæ seruitutis, & sacrosanctæ conuersationis feruor attrahit quoque fideles ad Participandum orationibus, & Fraternitati eorum, cogitabat intra se quomodo posset Particeps fieri Societatis & Fraternitatis eorum, vt per illorum intercessionem peruenire queat ad regna vbi vera sunt gaudia. Cumque magno desiderio æstuaret intrinsecus, misit*

Deus

Deus in cor eius, vt ex terrenis & perituris rebus, æternam sibi Societatem præpararet in cælis. Volens ergo æternam sibi memoriam cum Fratribus Fuldensis Monasterij præparare, & cum eis æterni regni sedes possidere, prædium quoddam in Hettenesselt à se pretio comparatum obtulit S. Bonifacio in Fuldensi Monasterio, Fratribus ibidem deuotè seruientibus, vt in perpetuo eorum esset obsequio, obsecrans & postulans obnixius, vt sui memores essent in Domini ministerio, & vt animam ipsius Deo commendantes, eius frucrentur beneficio: id autem accidit circa annum 1119.

25. *Ex Carthusiensibus.*

Secundâ parte statutorum Carthusiensium cap. 22. §. 49. sic habetur: *Omnium spiritualium bonorum Ordinis illi Participes annuntiantur qui ad Capitulum accesserunt, quique Prioribus in itinere hospitalitatem, seu humanitate quâuis aliâ officium exhibuere charitatis, omnesque alij viui, & defuncti qui per litteras, per nuntios, vel per ipsos orationibus se compendanerint Ordinis, aut Priorum.* & Ioannes Gerson in epistola sect. precedenti citatâ magni æstimat se factum Participem bonorum spiritualium Carthusianorum his verbis: *Et quoniam posuit in mendicitatis meæ sacculo, immò sacco permaximo & inani, largitionem liberalem & grandem de Participatione bonorum spiritua-*

lium pretiosi, prædinitisque Ordinis vestri benevolentissima charitas vestra, &c.

26. *Ex Cistercienſibus.*

In Priuilegijs Ordinis Cistercienſis pag. 240. refertur Epistola Friderici Imperatoris Missa ad Monachos Cistercienſes in Capitulo generali congregatos; quæ etiam ex parte habetur in apparatu Monologij eiusdem Ordinis: in quâ pijssimus Imperator Fraternitati dicti Ordinis instantissimè postulat aggregari, & in bonis illius spiritualibus Participare, sic enim incipit: *Venerabilibus in Christo Patribus, & amicis dilectissimis, omnibus Abbatibus Cistercienſis Ordinis, Fridericus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, &c.* & paulò post: *Credimus & verè scimus quod tanta est sanctitas huius venerendi Ordinis, tamque est placens, tamque suaue & acceptabile holocaustum orationum vestrarum, quod ei quotidie offertis sub carnis vestræ macerationc & mortificatione, quod omne id quod à creatore nostro duxeritis petendum, obtinebitis à multitudine miserationum suarum. Est etiam fides nostra non vtique parua, quod hic mundus qui lubricus & immundus est, & in maligno positus, orationibus vestris sustentatur, & à facie furoris illius tremendi iudicis, cuius iram peccatis nostris accendimus, defensatur, auertendo suam quam meremur indignationē. Cum igitur*

igitur hoc firmissimè credamus, quod ab ipso Patre misericordiarum piis orationibus vestris impetretis quidquid ab ipso in nomine unigeniti filij sui humiliter postulaueritis. Nos qui peccati pondere recognoscimus oppressos nos esse omni humilitate, omni deuotione ab vniuersis vobis & singulis, qui in nomine Christi conueniistis petimus; & obsecramus omnium precum instantia, quatenus in Fraternitatem vestram nos recipientes, & in consortium sanctissimum orationum vestrarum nos colligentes, speciales creatori nostro preces effundere dignemini, vt gratia sua misericorditer in nobis deleat, & emundet, quidquid hactenus omisimus, humanæ carnis infirmitate, & in his quæ sibi placita sunt nos confirmare dignetur. hæc omnia referre placuit non solùm vt innotesceat quantâ in opinione sanctitatis Cistercienſem Ordinem habuerit; sed etiam vt appareat, quanti fecerit participationem bonorum operum Ordinum Religiosorum. Sectione precedenti citauimus etiam Epistolam Stephani Abbatis Cistercienſis, quâ Regem Galliæ Ludouicum declarat receptum ad Participium, & Societatem bonorum spiritualium Ordinis, *quod*, vt ibidem ait eidem Ludouico, *si recolotis olim tam humiliter requisistis.*

27. *Ex Ordine Minimorum.*

In noſtra Minimorum Regula nil ſpeciale de his Participationibus habetur, Sanctus enim Pater noſter reliquit Ordini diſpenſationem bonorum ſpiritualium, iuxtâ communem modum aljarum Religionum. Iulius tamen ſecundus ſuâ authoritate varijs perſonis Communionem bonorum Ordinis noſtri tribuit in Bulla quæ incipit: *Alias Venerabilem Fratrem*, quæ habetur in Priuilegijs Ordinis his verbis: *Quod dicti Ordinis*, Minimorum, *domorum Fundatores, Fundatrices, Procuratores, Tutores, & Tutrices eorumque vtriuſque ſexus liberi; necnon dicti Ordinis Conſeruatores præſentes & futuri, omnium & ſingularum Miſſarum, Iciuniorum, Orationum, & Sacrificiorum, ac quorumcunque aliorum bonorum, & in toto huiuſmodi ordine Minimorum de cætero faciendorum, & recitandorum Participes fore, & illis communicata ſint & eſſe debeant.*

28. Hanc Bullam Pontificiam imitatus Sanctus Pater Franciſcus de Paula varias ſub ijs titulis, litteras Participationum conceſſit: vnam refert Doctor Petrus Triſtan Ordinis noſtri Tertiarius in ſuis Ordinis Chronicis paginâ 157. datam à S. Patre Franciſco, Andreæ d'Aleſſo his verbis: *Vniuerſis præſentes litteras*

ſen

seu præsens publicum instrumentum inspecturis, lecturis, & audituris. Nos Frater Franciscus de Paula Minimorum Ordinis institutor ac generalis Corrector salutem in Domino sempiternam. Ordinem prædictum ad Dei laudem, gloriam & honorem nouiter institutum prona mente dimentientes; illicque palmites salutiferos pro viribus producere cupientes, & præcipuè illius Zelatoribus nos conformare ac eis fouere ex intimis anhelantes: præsertim autem spectabilem virum D. Andream d'Alesso quoad hoc præcipuum ac intimum benefactorem nostrum copiosum simul cum Venerabili vxore pariter & liberis procreatis, ac Dei gratia procreandis Participem omnium & singularum Missarum, Orationum, Ieiuniorum, Eleemosynarum pariter & aliorum singulorum operum meritoriorum totius dicti Ordinis, tam Conuentus nostri Iesu Mariæ de Plessiaco Parci, quam & ceterorum omnium Conuentuum Ordinis per vniuersa mundi climata longè latèque constructorum, ædificatorum, quemadmodum & ceteros fideles eiusdem Ordinis Procuratores pro eodem ordine fideliter laborantes, vltrò sponteque de speciali gratia fecimus, aggregauimus, & associauimus; per præsentes quoque iterum, ac de nouo pariformiter facimus, aggregamus, & associamus. Hac litteras refert etiam

Littere Participationum datæ à S. Francisco de Paula.

etiam Lanouius in suis Ordinis nostri Chronicis ad annum 1509. & addit quod in fine sic haberetur: præsentes litteras per Fratrem nostrum subscriptum, &c. & signatum erat, *Binet*, sub datum 28. Decembris 1505. Quas litteras idē Pater Binet tunc Generalis visitando Galliam iterum confirmauit his verbis: *Nos insuper Fr. Franciscus Binet huiusmodi prædicti Ordinis Generalis Corrector modernus omnia prædicta confirmamus*, & signatum erat *Binet*.

29. Idem Lanouius ibidem refert duas alias litteras Participationum dicti P. S. Francisci de Paula; quarum prima sic habet: *F. Franciscus de Paula Minimorum Ordinis humilis institutor, nec non Generalis Corrector immeritus: plenissimè confisi de morum probitate nobilissimorum virorum Petri Briçonet, Magistri Ioannis de Broyer, &c. singulis gratijs immunitatibus & indulgentijs quibuscunque fidelibus nostri Præfati Ordinis Procuratoribus per Priuilegia seu aliàs quomodolibet concessis, ac in posterùm concedendis, vnà cum Venerabilibus eorum Vxoribus, scilicet cum eorum liberis & substitutis plenè & integrè gaudendi, fruendi & vtendi: in omnibus etiam Mysterijs diuinis, Orationibus & Missis, Ieiunijs ac Vigilijs, cæterisque quibusuis Suffragijs, & bonis per Ordinem vni-*

uersum

uersum à cunctis Fratribus nostris in perpetuum Dei ordinatione fiendis, specialissimè participandi & communicandi, &c. vobis facultatem facio. Sub datum Anno 1501. die 7. Martij cum appositione sigilli.

Altera Epistola talis est: *Dilectis sibi in Christo Iesu Ludouico Buinet, Ioanni Guilleaume, &c. F. Franciscus de Paula Sacri Ordinis Minimorum Generalis Correctior salutem in Domino, ac bonis perfrui sempiternis. Feruidus deuotionis affectus quem ad Ordinem nostrum geritis exigentiâ dignâ requirit, vt quia in temporalibus non possumus vicem vestræ charitati rependere, in spiritualibus tamen quantùm nobis authore Deo suppetit, proutque in nostris apud Deum peroptamus desiderijs vestra beneficia gratitudinis debitis compensemus. Quapropter vos in Procuratores nostros creamus, ordinamus, constituimus, & quemlibet vestrum ad Confraternitatem nostram recipio, in vitâ pariter & in morte, plenam & specialem Participationem omnium charismatum, & operum meritoriorum, videlicet Missarum, Orationum, diuinorum Officiorum, Prædicationum, Ieiuniorum, Disciplinarum cæterorumque bonorum spiritualium tenore præsentium gratiosè conferendo, quæ per Fratres mihi subditos, commissos, Oblatos, nec non Fratres & Sorores de Pœnitentiâ* 30.

tentiâ fieri dederit author omnium bonorum Dei filius, vt multiplici suffragiorum adiuti præsidio, & hîc augmentum gratiæ, & in futuro mereamini vitæ æternæ præmia possidere, &c. Sub datum 24. Martij Anno 1503. cum appositione sigilli.

Denique ea semper fuit consuetudo in omnibus Religionibus, amicis, & benefactoribus litteras filiationum concedere, quibus bonorum spiritualium Ordinis Participes redduntur.

QVÆSTIO

QVÆSTIO SECVNDA.

De differentia inter Participationes Religionum, & Communionem Sanctorum?

SECTIO PRIMA.

Quid sibi velut Articulus nonus Symboli Apostolorum: Credo Communionem Sanctorum?

PRiusquam Participationum, & Communionis Sanctorum differentiam ostendamus, præscire oportet quid sit ipsa Communio Sanctorum, & qui sint eius effectus, vnde

1. *Effectus communionis per effectus excommunicationis.*

Nota primò effectus, saltem quosdam, Communionis Sanctorum rectè concipi & explicari posse per nonnullos effectus excommunicationis illis oppositos: cum enim excommunicatio sit priuatio Communionis

munionis quæ est in Ecclesiâ, illa quibus priuantur excommunicati, sunt illa eadem in quibus Communicant fideles. excommunicatio igitur priuat hominem communibus Ecclesiæ suffragijs, quæ ad tria membra reuocari possunt, scilicet ad Sacrificium Missæ, quod pro totâ Ecclesiâ offertur; ad orationes omnes quæ fiunt nomine Ecclesiæ; & ad Indulgentias quæ Ecclesiæ membris per Prælatos communicantur. Deinde excommunicatus priuatur vsu, & participatione Sacramentorum. in his igitur quibus priuantur excommunicati, sicut & in nonnullis alijs consistit Sanctorum Communio.

2. *Communio est inter Ecclesiam militantem, triũphantem, & patientem.*

Nota secundò hanc Communionem Sanctorum non esse solùm inter fideles Ecclesiæ militantis, sed & triumphantis, & patientis: communicamus autem cum beatis in hoc quod suis orationibus multa nobis impetrant; item quod participamus in eorum satisfactionibus superabũdantibus, quæ repositæ in thesauro Ecclesiæ vnà cum Christi satisfactionibus per Indulgentias nobis conferuntur. Cum animabus etiam Purgatorij communicamus in hoc quod earum orationibus iuuamur, sicut & in quibusdam satisfactionibus quæ quandoque in nonnullis superabunda-

runt

runt priusquam denuò in peccatum recidissent; & nos vicissim illas iuuamus nostris satisfactionibus, sacrificijs, orationibus, & alijs bonis operibus, maximè autem inter fideles viuentes est hæc communio, qui varijs modis infrà dicendis fiunt mutuò Participes bonorum operum. His positis

Dico primò, Sanctorum Communio de quâ in Symbolo, consistit in hoc, primò, quod omnes fideles participant in quibusdam externis, scilicet in ijsdem Sacramentis, & eorum fructibus, in eodem communi Sacrificio, & maximè in Sacramento Eucharistiæ, in quo velut vnius corporis membra vnimur Christo capiti, quod ea ratione nomen Communionis sortitur; item in verbo Dei, in officijs Ecclesiasticis, ritibus, & rebus sacris. Secundò consistit etiam in hoc quod omnes Communicant in quibusdam internis, vt in eâdem fide, in gratia, & omnibus alijs virtutibus, maximè in charitate, quæ est fundamentum huius Communionis, per quam fideles inter se vniti velut vnius corporis membra se inuicem iuuant. ita ex parte Sotus *in 4. dist. 45. quæst. 2. art. 1.* Catechismus Pij 5. *in hunc Symboli articulum*, Canisius *in maiori Catechismo ibid. &c.*

2. *Communio fundamentaliter consistit in quibusdam externis, & internis.*

Aduerte

Aduerte tamen prædicta omnia non esse effectus Communionis Sanctorum, sed radicem, & fundamentum, super quo omnes illius effectus fundantur: ex eo enim quod omnes fideles ratione eiusdem fidei, charitatis, Sacramentorũ, &c. fiunt vnum corpus mysticum Ecclesiæ, ideò habent inter se effectus, & influxus communes, participant enim in eodem effectu Sacramentorum, in eodem thesauro communi, in satisfactionibus, & bonis operibus aliorum, &c. Et hoc intendit D. Thomas *Opusculo 6. cap. 13.* cum ait: *sicut in corpore naturali operatio vnius membri cedit in bonum totius corporis, ita in corpore spirituali, scilicet Ecclesiâ. & quia omnes fideles sunt vnum corpus, bonum vnius alteri communicatur, Apostolus Rom. 12. singula autem alter alterius membra: vnde & inter alia credenda quæ tradiderunt Apostoli, est quod Communio bonorum sit in Ecclesiâ, & hoc est quod dicitur: Sanctorum Communionem. inter alia verò membra Ecclesiæ, principale membrum est Christus, quia est caput. bonum ergo Christi communicatur omnibus Christianis, sicut virtus capitis omnibus membris, & hæc communicatio fit per Sacramenta Ecclesiæ.* Vnde patet ex mente D. Thomæ participationem effectus Sacramentorum

torum esse effectum Communionis Sanctorum.

Dico secundò, Sanctorum Communio comprehendit etiam communicationem thesauri Ecclesiæ constantis ex meritis, & satisfactionibus Christi, & satisfactionibus superabundantibus Sanctorum. Ita *Covar. cap. Alma mater, p. 1. §. 4. num. 7.* Estius *in 4. dist. 20. §. 4. &c.* sic enim aliorum merita, id est Christi, & Sanctorum alijs applicantur, & fiunt communia, quæ applicatio, & Communicatio fit per indulgentias quarum supremus dispensator est summus Pontifex. 4. *Continet thesaurum Indulgentiarum.*

Dico tertiò, Communio Sanctorum dicit etiam aliam Communicationem inter fideles in hoc cõsistentem, quod veluti eiusdem corporis membra mutuis officijs, meritis, satisfactionibus, orationibus, & sacrificijs se inuicem iuuant, sicque participant, & communicant in bonis spiritualibus aliorum, quæ fiunt suo modo communia; quod tamen hîc intellige virtute particularis intentionis quâ vnus intendit orare, aut aliud opus bonum facere pro alio. hæc cõclusio est communis omnium, & est vnus ex præcipuis effectibus huius Communionis (vt rectè Suarez *3. p. tom. 4. disp. 48. sect. 1.*) quod fideles vt vnius cor- 5. *Dicit etiã communicationem in orationibus, &c. per intentionem specialem.*

poris membra non sibi soli prosint, sed & alijs iuxta propriam voluntatẽ,& intentionem; & hoc non tantùm quoad satisfactionem pro pœnâ temporali,sed & quoad meritum congrui, & impetrationem variorum bonorum tum spiritualium, cum temporalium; & Sotus suprà, dicit eum qui negaret hanc Communionem quoad meritum congrui, & satisfactionem, futurum hæreticum. In hâc autem Communione sunt non modò viuentes, sed & degentes in purgatorio, & cælo; & quoad Sanctos in cælo fit sermo de hac Communione in Canone Missæ: *Communicantes, & memoriam venerantes Sanctorum, &c.* In quo autem consistat hæc Communicatio additur: *Quorum meritis, precibusque, &c.* vt rectè docet Estius *supra dist. 18. §. 8.*

6. *Item in omnibus sacrificijs per intentionem generalem.*

Dico quartò, fideles virtute Communionis Sanctorum percipiunt etiam fructum aliquem ex omnibus Missæ Sacrificijs totius Ecclesiæ, idque ratione generalis intentionis quâ pro omnibus fidelibus offeruntur, vt ostendi *lib. 1. de fructu Missæ, disp. 1. quæst. 1. d. 1. & 2.* & docet Caietan. *tom. 2. tract. 3. q. 2.* Aragon *2. 2. qu. 85. art. 3.* Henriquez *lib. 9. cap. 18. &c.* Exurgit etiam aliquis fructus ex omnibus orationibus quæ pro totâ Ecclesiâ funduntur

duntur, non solùm in Missâ, sed & in orationibus priuatis, quas constat sæpe esse communes pro omnibus, vt patet in Pater noster. Hinc Cyprianus *lib. de oratione dominicâ* sic ait: *Non dicimus Pater meus qui es in cælis; nec panem meum da mihi hodie; nec dimitti sibi tantùm vnusquisque delicta expostulat; aut vt in tentationem non inducatur, atque à malo liberetur pro se solo rogat: publica est nobis, & communis oratio, & quando oramus, non pro vno, sed pro populo toto oramus quia totus populus vnum sumus, Deus pacis, & concordiæ, & Magister vnitatis qui docuit, sic orare vnum pro omnibus voluit, quomodo in vno omnes ipse portauit.* Albaspinus *lib. 1. Obseruatione 17.* docet osculum pacis in Sacrificio Missę ordinatum fuisse initio Ecclesiæ in Symbolum Communionis, & refert Tertullianum dicentem, dicto osculo fideles cooptari in partem meriti, & gratiæ quæ tępore Sacrificij Missæ comparatur. Ex his ergo orationibus communibus, & maximè sacrificijs suo modo participant fideles; & hic est etiam effectus Communionis Sanctorum. quis autem fructus inde fidelibus oriatur dixi libro, & loco suprà citatis, scilicet per hanc generalem intentionem & applicationem prouenire fidelibus proportionaliter

tionaliter eosdem fructus Sacrificij v.g. qui proueniũt ijsdem per eadem Sacrificia intentione speciali applicata; nam iustis prosunt quoad meritum gratiarum præuenientium, satisfactionem, & impetrationem; peccatoribus verò quoad gratias præuenientes, & impetrationem.

7. *Continet etiam participationem in omnibus bonis aliorum ex radice charitatis.*

Dico quintò, per eandem Communionem Sanctorum fideles etiam participant in omnibus bonis operibus aliorum, licet fiant sine expressâ intentione speciali, vel generali illis applicandi, v.g. in omnibus eleemosynis, ieiunijs, disciplinis, & alijs bonis operibus singulorum fidelium, idque ex solâ radice charitatis quæ facit omnia communia. Et hic est vnus ex præcipuis, & magis proprijs effectibus Communionis Sanctorum, de quo loquitur D. Thomas *Opusc. 6. citato*, cum ait: *Quidquid boni fecerunt omnes Sancti, communicatur in charitate existentibus, quia omnes vnum sunt.* quod probat ex illo *Psal. 118. Particeps ego sum omnium timentium te.* & addit: *Et inde est, quod qui in charitate viuit, particeps est omnis boni quod fit in toto mundo.* Quis autem in particulari sit ille fructus dixi vbi suprà, scilicet ex hâc radice charitatis fideles tam viuos, quam defunctos recipere gaudium aliquod, & delectationem spiritualem;

tualem; item exinde ob bona opera iustorum, Deum solere plura bona temporalia & spiritualia alijs præstare, quibus eos à malo præservat, ad bonum promouet, &c. de quibus vide locum citatum.

SECTIO SECVNDA.

Quæ sit differentia inter effectus Participationum, & Communionis Sanctorum?

NOta Communionem Sanctorũ comprehẽdere omnes fideles, seu totum corpus Ecclesiæ, in quo ob connexionem membrorum, & vnitatem corporis mystici, reperitur Communicatio in omnibus effectibus supradictis. Sub illo autem magno corpore Ecclesiæ reperiuntur diuersæ Congregationes quæ mysticum etiam aliud corpus cum suis membris constituunt, vt sunt omnes Ordines Religiosi, in quibus reperiuntur omnia ad compositionem vnius particularis corporis requisita, vnà cum illius effectibus; itaut membra alicuius Religionis dupliciter in- 8.

grediantur compositionem mystici corporis: primò enim sunt membra corporis Ecclesiæ vnà cum omnibus fidelibus, & exinde influunt, & recipiunt varios fructus æquè ac alij fideles. secundò, sunt mẽbra suæ Religionis quæ speciale etiam corpus constituit, in quo proportionaliter reperiũtur quidem influxus, & Communicationes mutuæ inter ipsa membra, distinctæ ab ijs quæ fiunt in toto corpore Ecclesiæ. Vnde patet differentiam inter hæc duo, radicaliter consistere in hoc, quod Communio Sanctorum sit in toto corpore Ecclesiæ; Participationes verò in corpore Ordinum Religiosorum, & aliarum particularium Congregationum; & hinc colligi possunt varij effectus vtriusque, vnde

9. *Differentia inter Communionem Sanctorũ, & participationes.*

Respondeo & Dico effectus Participationum, & Communionis Sanctorum in hoc differre, primò quod dispensatio communis thesauri Ecclesiæ, qui inter fideles distribuitur, sit effectus Communionis Sanctorum: in Religionibus autem nullus est thesaurus particularis constans ex superfluis Fratrum satisfactionibus, per Participationes dispensabilis à Prælatis, vt *q. 3. sect. 2.* dicetur. Secundò omnis fructus sacrificiorum, & aliarum orationum

orationum communium applicatus fidelibus per intentionem generalem, de quo *sectione præcedent. concl. 4.* est quidem effectus solius Communionis Sanctorum; reperitur tamen similis aliquis fructus in quo communicant illi qui recepti sunt ad participium bonorum operum Religionum: multa enim fiunt sacrificia, orationes, & alia bona opera pro toto Ordine, intentione generali aut speciali, in quibus illi participant, de quo *quæst. 6.* Tertiò varij fructus oriuntur fidelibus per Communionem Sanctorum ex solâ radice charitatis, vt suprà *concl. 5.* dictum est, in quibus nihil habent Religiosi & illis vniti suprà alios fideles; quia tamen Ordines Religiosi componunt etiam corpus speciale, ad imitationem corporis totius Ecclesiæ, ideò in illo corpore subalterno reperitur etiam inter eius membra vnio mutua charitatis, itaut ex eâdem radice charitatis bona opera vnius prosint alijs, & Deus virtute illorum soleat alijs plura præstare beneficia, vt *quæst. 6.* Denique valdè probabile est, vt loco citato dicetur, satisfactiones superabundantes membrorum Religionis, applicari receptis ad Participationem bonorum operum, & alijs de eodem corpore existentibus: in

Communione autem Sanctorum satisfactiones quæ fidelibus applicantur, hauriendæ sunt ex communi thesauro Ecclesiæ per Indulgentias.

QVÆSTIO TERTIA.

De differentia inter Participationes, & Indulgentias.

SECTIO PRIMA.

An Abbates, & Generales Ordinum possint dare Indulgentias ex thesauro Ecclesiæ hauriendas?

1. RAtio dubitandi est, primò, quia habent potestatem concedendi amicis & benefactoribus remissionem pœnarum, applicando eis satisfactiones suarum Congregationum, & reddendo illos participes aliorum bonorum operum, quod est quædam species Indulgentiæ. Secundò, Generales

rales Ordinum, & Abbates habent in suos subditos potestatem iurisdictionis quasi Episcopalem: cum igitur potestas Indulgentiarum sit iurisdictionis, eamque habeant Episcopi respectu suorum subditorum, videtur Generales, & Abbates eandem habere debere, saltem respectu subditorum. contrà tamen

Dico primò, Generales Ordinum, & Abbates ex vi sui officij nullam habent potestatem concedendi Religiosis sibi subditis Indulgentias ex thesauro Ecclesiæ, licet habeant in eos iurisdictionem quasi Episcopalem.

2. *Generales & Abbates non possunt dare Indulgentias subditis ex vi officij.*

Probatur primò, ex meliori sententiâ solus summus Pontifex iure diuino habet potestatem concedendi Indulgentias, quæ data est Petro *Matthæi 16. Tibi dabo claues regni cælorum, quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis.* Episcopi autem licet aliquam potestatem, etiam ordinariam in Indulgentijs habeant, habent tamen de iure humano non diuino, quæ scilicet eis data est à summo Pontifice; extant enim plura loca iuris canonici quibus potestas hæc Episcopis concessa exprimitur: si igitur in Generalibus, & Abbatibus esset potestas aliqua Indulgentiarum, eodem iure humano eam habere

deberent;

deberent; nullus autem est textus iuris quo ea potestas illis concessa significetur; econtrà *cap. accedentibus. de excessibus Prælatorum.* Innocentius tertius declarat nõ esse Abbatum, & per cõsequens aliorum Prælatorum regularium, concedere Indulgentias, & districtè prohibet ne id attentent.

3. Secundò, licet iure diuino competeret potestas Indulgentiarum Episcopis, vt volunt Sotus *in 4. dist. 21. q. 1. art. 4.* Medina *lib. de Indulgent. disp. 5. & 6. &c.* non sequeretur tamen eodẽ iure Generalibus, & Abbatibus cõpetere, cum eorũ iurisdictio longè sit diuersa à iurisdictione Episcoporũ, qui vt D. Th. *in 4. d. 20.* habent in suos iurisdictionem politicam, quæ extẽditur in Ciuitates, & Prouincias; iurisdictio verò Generalium, & Abbatum est tãtum œconomica, id est in quasdam familias quas habent regendas; hinc solus Episcopus propriè Prælatus Ecclesiæ dicitur, & quasi illius sponsus annulum recipit; quæ omnia quadrare non possunt Prælatis regularibus, qui proinde hâc in re non possunt assimilari Episcopis, cum constet eorum institutum non excedere ius humanum.

4. *Possunt tamen per potestatem delegatam* Dico secundò, licet Abbates, & alij Prælati regulares non habeant potestatem ordinariam concedendi Indulgentias ex

thesauro

thesauro Ecclesiæ; habere tamen possunt delegatam, & de facto summus Pontifex dedit potestatem regularibus concedendi certas Indulgentias; sic Prælati regulares, absolutis visitationibus possunt Religiosis singulorum Conuentuum concedere Indulgentiam plenariam, per priuilegium Leonis decimi datum Minoribus, de quo Peregrinus *1. p. sui Compendij verbo visitatores.* Idem priuilegium Gregorius XIII. concessit visitatoribus Societatis Iesu, vt refert idem Peregrinus, & Rodericus *tom. 2. qq. regul. q. 86. art. 2.* & Generalis nostri Ordinis Minimorum ex priuilegio Clementis VII. potest quolibet triennio Fratribus, Sororibus, Tertiarijs, Fundatoribus, Conseruatoribus, & Procuratoribus Ordinis, Indulgentiam plenariam cõcedere; de quo Peirinis *tom. 1. priuil. in Clemente VII. Constit. 9.* Hæc igitur potestas Indulgentiarum in regularibus est delegata per summos Pontifices, quæ proinde non potest extendi nisi ad effectus assignatos. Cum ergo Prælati regulares non habeant potestatem ordinariam, aut delegatam concedendi Indulgentias ex thesauro Ecclesiæ pro voluntate, rectè sequitur quod applicando amicis & benefactoribus satisfactiones, & alia bona opera

opera Religionis, non concedant Indulgentias ex thesauro communi, cum eam potestatem non habeant, nisi in certis casibus delegatis, vt dictum est.

5. Dico tertiò, Abbates, & alij Prælati regulares non possunt concedere Indulgentias hauriendas ex thesauro speciali conflato ex superabundantibus satisfactionibus suæ Congregationis, cuius dispensatio maneat penès Prælatum, eo modo quo dispensatio thesauri communis Ecclesiæ manet penès summum Pontificem. Ratio est, quia non datur talis thesaurus particularis in singulis Congregationibus, vt pluribus sect. sequenti.

SECTIO SECVNDA.

An in singulis Religionibus sit thesaurus aliquis Particularis conflatus ex superabundantibus satisfactionibus Religiosorum, dispensabilis per Generales Ordinum?

QVorumdam sententia fuit quod sicut vniuersalis Ecclesia est vna, conflata ex pluribus

ex pluribus particularibus: ita in eâdem Ecclesia sit thesaurus aliquis generalis, conflatus tamen ex thesauris particularibus singularum Ecclesiarum, in quibus vltrà Christi satisfactiones reconduntur superabundantes satisfactiones subditorum, quorum dispensatio pertineat ad proprium Episcopum, tanquam ad eius Prælatum; itaut cum Episcopus Indulgentias aliquas largitur, ex thesauro sibi particulari eas hauriat: simili etiam ratione affirmari posset esse in singulis Ordinibus specialem aliquem thesaurum, constantem ex superabundantibus satisfactionibus Ordinum, quæ sæpius in illis exuberant, ob frequentes austeritates, & piam vitam Religiosorum. contrà tamen

Dico primò, nullus est thesaurus particularis in singulis Ordinibus Religiosis constans ex superabundantibus satisfactionibus Religiosorum, dispensabilis per Prælatos Ordinis. Ita Sotus *in 4. dist. 21. q. 1. art. 4.* Passarellus *in Notandis Priuilegiorum §. 22.* Suarez *3. p. tom. 4. dist. 54. sect. 5.* Peirinis *in Religioso Prælato, q. 3 cap. 6.* Pro probatione, aduerte eam esse differentiam inter satisfactiones quæ per Indulgentias ex thesauro Ecclesiæ applicantur; & eas quas quilibet iustus alteri applicat, quod satis-

7. *In Religionibus non est thesaurus particularis.*

satisfactiones Indulgentiarum ex thesauro, respondeant bonis operibus iam transactis Christi, & Sanctorum, & in eodem thesauro recondantur, dispensandæ per Prælatos Ecclesiæ; satisfactiones verò quas iusti alijs applicant, non respondeant operibus transactis, sed earum applicatio fieri debeat ante, vel cum opera satisfactoria fiunt, quia tunc habet quis plenam potestatem & dispositionem fructus suarum actionum; operibus verò peractis fructus non manet suspensus, sed debet habuisse effectum in aliquo, aliàs redit in thesaurum Ecclesiæ, & liberam dispositionem operantis egreditur, incipitque soli diuinæ dispositioni subesse, qui solus principaliter, & immediatè habet liberam dispensationem thesauri Ecclesiæ; hanc autem potestatem dispensandi thesaurum Christus dedit Petro, & eius successoribus, cum dixit *Matth. 16. Tibi dabo claues regni cælorum, & quodcumque solueris super terram, erit solutum, & in cælis.* hoc posito,

2. Probatur conclusio primò, si esset in singulis Religionibus thesaurus particularis conflatus ex superabundantiâ satisfactionum Religiosorum, posset illum dispensare Prælatus Ordinis, eo modo quo Pontifex dispensat thesaurum generalem

Ecclesiæ

Ecclesiæ: sed nullo modo potest Prælatus Ordinis dispensare thesaurum aliquem auctoritate sibi propriâ: ergo nullus est thesaurus particularis in singulis Ordinibus. Probatur minor, dispensatio alicuius thesauri propriâ auctoritate, non est potestatis humanæ, sed diuinæ, vt patet ex dictis, satisfactiones enim opere transacto egrediuntur potestatem humanam, & soli diuinæ subiacent principaliter: cum igitur Prælati Ordinum propriâ auctoritate id non habeant, & constet eam potestatem non accepisse à Christo, sicut Petrus, & eius successores; rectè sequitur solùm penès summum Pontificem iure diuino, non autem penès Prælatos Ordinum manere hanc potestatem dispensandi thesaurum aliquem satisfactionum.

Secundò, thesaurus communis Ecclesię 9.
constat maximè ex infinitis Christi satisfactionibus, quibus Sanctorum satisfactiones iunguntur, non ob necessitatem, sed ad maiorem eorum honorem, & sunt solùm velut accessoriæ, nec cumulus aliquis earum reperitur, nisi prout vnitæ sunt Christi satisfactionibus, cum de facto totæ Christi satisfactionibus innitantur, vt ostendi *lib. 2. de fructu Missæ, disp. 1. q. 2. d. 2.*

patet

patet autem quod si thesaurus aliquis particularis satisfactionum in singulis Religionibus reperiretur, solis Fratrum satisfactionibus constaret, absque connunctione cum Christi satisfactionibus, cum thesaurus hic non egrederetur potestatem purè humanam, cui non subiacet thesaurus satisfactionum Christi; sicque satisfactiones thesauri accessoriæ, fierent principales, & inde plurimùm infinitis, & superaffluentibus Christi satisfactionibus derogaretur.

10. Tertiò, si esset in Religionibus thesaurus particularis dispensabilis per Prælatos, non esset ratio cur quilibet non posset etiam thesaurum sibi particularem ex superabundantiâ suarum satisfactionum constituere, quod absurdum est; sic enim earum satisfactionum plenam dispositionem sibi retineret, posseteque eas sibi reseruare, & applicare in solutionem pœnæ peccatorum posteà commissorum; immò & posset idem præstare erga alios. Tales igitur satisfactiones superabundantes particularium redeunt in communem thesaurum Ecclesiæ, idque ex intentione virtuali, & interpretatiuâ, quam quilibet iustus habet, vt omnes satisfactiones quibus non indiget, & nulli specialiter cum effectu

applicatæ

applicatæ sunt, alijs prosint eo modo quo melius fieri potest, scilicet vt repositæ in thesauro Ecclesiæ, alijs per Indulgentias distribuantur, iuxtà modum à Christo præscriptum; vnde in operante non remanet libera dispositio satisfactionum præteritarum, cum iam censeatur eas donasse, vt vnà cum satisfactionibus Christi, fidelibus distribuantur. quæ omnia magis ex sequenti cõclusione constabunt.

11. *Non est etiam thesaurus particularis in singulis Diœcesibus.*

Dico secundò, non est etiam thesaurus aliquis particularis in quâlibet Diœcesi, constans ex satisfactionibus subditorum, dispensabilis per Episcopos. sequitur ex dictis, & licet videatur specialis aliqua ratio in Diœcesibus respectu Episcoporum, cum illi sint verè Prælati & sponsi Ecclesiæ, ferentes eâ ratione annulum habeantque potestatem concedendi Indulgentias, quæ proinde dici possent fundari in thesauro particulari Diœcesis; contrà tamen probatur primò, quia thesaurus hîc particularis ortum habere deberet ex Christi institutione, vt dictum est, cum ex Christi, & subditorum satisfactionibus constaret; non constat autem Christum thesauros particulares instituisse, sed econtrà vnicum generalem, cuius supremam dispensationem

dedit Petro, & eius ſucceſſoribus ſummis Pontificibus, qui ex communiori ſententiâ, vt ſect. præcedenti dictum eſt, dederunt Epiſcopis poteſtatem concedendi certas Indulgentias ex eodem communi theſauro hauriendas, nec enim Indulgentiæ quas concedunt fundantur ſuper ſolis ſatisfactionibus ſubditorum, ſed totius Eccleſiæ. Secundò, multiplicatio hæc theſaurorum eſt inutilis, & ſine fundamento, & neceſſitate. Tertiò, ſi in quâlibet Diœceſi eſſe theſaurus ſpecialis, nullæ ſatisfactiones Sanctorum reponerentur in theſauro generali Eccleſiæ, cum Eccleſia generalis ex particularibus Eccleſijs conſtet; & cum Pontifex largitur Indulgentias, non fundarentur in ſatisfactionibus Sanctorum totius Eccleſiæ, quod eſt contrà communem ſenſum. Vnde ad rationem in contrarium Reſpondeo, Epiſcopos eſſe Prælatos Eccleſiæ, & ſponſos, ſed ſubalternatos, eſt enim ſuprà ipſos Epiſcopus, & ſponſus vniuerſalis Eccleſiæ, cui commiſſus eſt generalis theſaurus meritorum Chriſti, quibus cum ſolùm acceſſorie adiungantur ſatisfactiones Sanctorum, earum etiam ex conſequenti ei à Chriſto commiſſa eſt diſpenſatio, per illum autem alijs.

Cum

Cum igitur singuli Ordines Religiosi non possint thesaurizare, nec thesaurum aliquem particularem dispensare; sequitur Participationes quas Prælati communicant amicis, non habere effectum per modum Indulgentiæ, nec fundari in thesauro aliquo particulari, qui illis dispensetur.

SECTIO TERTIA.

Quænam igitur sunt differentiæ inter Participationes, & Indulgentias?

12. *Variæ differentiæ Participationum, & Indulgentiarum.*

D. Thomas *in 4. d. 20. quæst. 1. art. 4. quæstiunc. 1.* assignat duas differentias, prima, quod licet per Participationes quis liberetur à pœna ob satisfactiones illi applicatas; non liberatur tamen à debito faciendi satisfactionem iniunctam, sicut per Induigentias: communis enim est sententia *ex cap. cum ex eo, de pœn. & rem.* per Indulgentias remitti pœnas iniunctas in foro pœnitentiæ, cum enim Indulgentiæ tollant pœnam, tollunt etiam debitum satisfaciendi pro pœnâ,

vndecumque orta sit: Participationes verò licet causent aliquam remissionem pœnæ, non relaxant tamen satisfactionem iniunctam, nec illam attingere possunt; etiamsi per summum Pontificem fieret hæc applicatio, vt ait Corduba *de Indul. q 39.* quia id fit de bonis Congregationis, quæ non sunt infinita, nec constat esse sufficientia ad talem satisfactionem.

Secunda D. Thomæ differentia est, quod Indulgentiæ hauriuntur de thesauro inexhauribili, & indeficienti Ecclesiæ, qui constat ex infinitis meritis & satisfactionibus Christi, & Sanctorum: Participationes verò non habent effectum ex thesauro Ecclesiæ, sed fundantur in solis meritis, & satisfactionibus Religionis, non Christi, in quâ non est indeficientia meritorum, proindeque tantùm pœnæ per illas remittitur, quantùm ex satisfactionibus Religionis alijs applicatur.

13. Tertia differentia quam attigit Passarellus *in notandis Priuilegiorum notab. 22* est per Participationes applicari tantùm fructus futuros bonorum operum Religionis, quia cum opus peractum est, fructus non manet ampliùs in operantis potestate, vt *dubio 2.* dictum est: per Indulgentias

gentias verò communicantur satisfactiones Christi, & Sanctorum actu repositæ in thesauro Ecclesiæ, & ortæ ex illorum bonis operibus præteritis; vnde patet potestatem Participationum longè esse minorem potestate Indulgentiarum, cum auctoritatem humanam non transcendat, vt Indulgentiarum.

Quartam differentiam insinuat idem Passarellus *ibidem.* Sotus *in 4. d. 21. quæst. 1.* Palatius *ibidem disp. 20. disp. 4. in fine,* scilicet quod in Indulgentijs Prælati vtantur clauе Ecclesiæ remittendo pœnas debitas per veram absolutionem, proindeque non conferuntur Indulgentię nisi subditis: Participationes verò applicantur non subditis, scilicet amicis, & benefactoribus; & nullum includunt actum iurisdictionis, sed per meram solutionem, & satisfactionem effectum sortiuntur. Hanc tamen differentiam Nauarrus neruosè, vt ait, impugnat *Miscellanea 11. de Rosario n. 5.* ex eo quod Indulgentiæ conceduntur defunctis, quibus tamen non prosunt per viam iurisdictionis, & absolutionis. Sed facilè conciliari potest vtraque sententia, notando differentiam inter Indulgentias concessas viuis, & defunctis, quod viuis prosint per modum absolutionis, & iudiciariæ po- 14.

testatis; defunctis verò solùm per modum suffragij; vtræque tamen Indulgentiæ conceduntur per actum potestatis clauium, quatenus vtrobique fit æquialens solutio ex thesauro Ecclesiæ: de quo vide quæ diximus *lib. 3. de fructu Missæ, disp. 3. q. 11.* licet igitur potestas clauium habeat duplicem effectum in Indulgentijs viuorum, scilicet absolutionis, & solutionis; rectè sequitur quaslibet Indulgentias differre à Participationibus, quod sint actus potestatis clauium, per modum scilicet solutionis ex thesauro, & quod Indulgentiæ viuorum sint per modum absolutionis, quod intendit Sotus, & alij suprà; licet non defunctorum, quod vult Nauarrus.

15. Sunt & aliæ nonnullæ differentiæ inter Participationes, & Indulgentias, vt quod Indulgentiæ valent solùm ad remissionem pœnæ peccatis debitæ: Participationes verò habent plures alios effectus per modum impetrationis, vt infrà dicetur. Deinde Indulgentiæ tantùm remittunt pœnas debitas peccatis commissis ante tempus quo quis eas lucratur: Participationes verò maximè valent pro futuro, & omnes earum effectus perpetuò alijs proderunt quamdiu ijs indigebunt, vt etiam in litteris

litteris earumdem exprimitur.

Cum igitur hæ litteræ Participationum tantùm differant ab Indulgentijs, rectè sequitur quod quando suspenduntur Indulgentiæ, vt fit anno Iubilæi, nullo modo suspendi potestatem quâ Prælati regulares per chartas filiationis recipiunt aliquos in consortium bonorum spiritualium suæ Religionis, vt rectè Nauarrus *de Indulg. Notab. 31. num. 22.* & ratio est, quia solæ Indulgentiæ suspenduntur, qualis non est communicatio hæc bonorum spiritualium. 16.

Pro complemento huius quæstionis quæri hic potest, quidnam plus vtilitatis & fructus adferat homini, Indulgentiæ, an Participationes bonorum spiritualium alicuius Religionis? ad quod dicendum Indulgentias eatenus esse Maioris valoris, quatenus in nostrâ & probabiliori sententiâ, certò & infallibiliter prosunt viuis & defunctis, & satisfactiones per eas applicatæ hauriuntur ex thesauro infinito & indefectibili Ecclesiæ. Deinde Indulgentiæ communiter sunt abundantiores, & per eas plus pœnæ remittitur. Per communicationem verò bonorum spiritualium Ordinis non remittitur tantum pœnæ, sed participantibus solùm

prouenit pars aliqua satisfactionum communium, quæ omnibus de corpore Religionis applicantur; item ex probabili sententiâ oritur etiam pars aliqua ex satisfactionibus superabundantibus particularium, vt *quæst. 6. sect. 8.* dicetur; sed quid inde proueniat, incertum nobis est, cum satisfactiones hominum sint finitæ & defectibiles. Vnum est tamen in quo communicatio bonorum Ordinis videatur aliquo modo Indulgentias superare, scilicet quod Indulgentiæ solùm prosint ad remissionem pœnæ temporalis: Communicatio verò bonorum operum Religionis non solùm prodest ad remissionem pœnæ, sed etiam ad varia bona spiritualia & temporalia consequenda, per eam enim plurimæ gratiæ præuenientes alijs communicantur, quibus gratiam habitualem amissam facilius recuperare, habitam conseruare & augere, & tentationibus fortius resistere valeant, vt *quæst. 6. sect. 5.* fusius dicetur.

QVÆSTIO

QVÆSTIO QVARTA.

Ad quos pertineat Participationes bonorum operum Ordinis conferre?

SECTIO PRIMA.

An quilibet Prælatus habeat de iure communi potestatem conferendi Participationes amicis & benefactoribus?

NOta primò, certum esse Prælatum Generali inferiorem non posse alijs communicare participationem bonorum operum totius Ordinis, quia potestas communicandi alijs bona opera Religiosorum, dicit quandam præeminentiam, & iurisdictionem in illos, quam quilibet Prælatus non habet in totum Ordinem, sed

1. *Prælatus inferior Generali non potest communicare alijs bona opera totius Ordinis.*

sed solus Generalis. Nec obstat quod Episcopi possint conferre Indulgentias ex communi thesauro Ecclesiæ & satisfactionibus superabundantibus omnium fidelium, in quos tamen nullam habent iurisdictionem; ratio enim diuersitatis est, quia licet Episcopi potestatem habeant de iure communi conferendi Indulgentias, eam tamen nō habent nisi de iure communi humano, potestate illis factâ per summum Pontificem, qui plenariam habet iurisdictionem in omnes fideles, quam cum limitatione confert Episcopis: nulla autem est delegatio facta per Ordinis Generalem Prælatis subalternis communicandi aliis participationem meritorum totius Ordinis.

2. Nota 2. Vrbanum V. vt refert Casarubius *in Compendio verbo Indulgentia.* concessisse Generalibus Ordinum potestatem dandi de toto Ordine suffragia Indulgentiarum, & orationum, & beneficiorum spiritualium deuotis & benefactoribus Ordinis. sed hæc concessio nullam nouam potestatem tribuit Prælatis, quam ante non habebant, vt statim dicemus.

3. *Potest Generalis communi-*

Dico igitur primò, potest Generalis Ordinis de iure communi communicare amicis & benefactoribus participationem omnium

omnium bonorum operum Ordinis, eo modo ac si essent membra ipsius Religionis. est communis DD. & patet quotidianâ experientiâ omnium Ordinum, vbi dicta communicatio fit per litteras quas vocant filiationis, seu Fraternitatis. Et ratio est primò, quia Generalis habet plenariam administrationem omnium bonorum communium suæ Congregationis, vt colligitur ex decreto Pelagij *cap. Nullam 18. q. 2.* vbi dicit totum bonorum Monasterij administrationem esse penès Abbatem. quæ verba non solùm de administratione bonorum temporalium, sed etiam spiritualium intelligit Nauarrus *Miscell. de Rosar. num. 4.* Deinde communicatio hæc bonorũ operum Ordinis per chartas, est adoptio quædam spiritualis, quâ vltrà filios naturales Religionis qui sunt ipsi Religiosi, recipiuntur quidam externi in filios adoptiuos, vt similiter participent de bonis communibus Religionis: sicut igitur de iure communi primariò ad Generalem spectat nouitios recipere, & Ordini incorporare: ita ad eundem etiam primariò pertinet de iure communi per aliam incorporationem mysticam externos aliquos tãquam filios adoptiuos Ordini adunare, vt fusiùs *sect. 2.*

care bona opera totius Ordinis.

Denique

Denique potest quilibet particularis reddere alios participes omnium suorum bonorum operum : ergo à potiori potest Generalis, qui habet plenam administrationem bonorum operum Ordinis, alijs concedere participationem meritorum Ordinis.

4. *Prouinciales & Superiores locales possunt etiam bona opera subditorum alijs communicare.*

Dico secundò, possunt etiam alij Prælati de iure communi communicare externis participationem meritorum suorum subditorum : vt Prouincialis suæ prouinciæ, & superior localis sui Conuentus. Ita expressè Aureolus *in 4. d. 21. art. 2.* Nauarrus suprà. Roderic. *qq. regul. tom. 1. q. 33. art. 2.* Corduba *lib. de Indulg. q. 39.* noster Peirinis *in reg. Præl. q. 3. c. 6.* & ratio eadem est quæ de Generali, cum enim Prælati subalterni sint æquè Prælati & capita suorum subditorum, habent etiam plenariam administrationem bonorum spiritualium communium suæ Congregationis, proindeque possunt alios eorum participes reddere. Deinde patet experientiâ ab exordio Ordinis nostri, vidi enim antiquum exemplar participationum datum anno 1516. per R. P. Bernardum Beyl Prouincialem Alemaniæ & Bohemiæ, quo cuidam Wolgango Tuml, & eius consorti concedit communicationem

nem

nem bonorum spiritualium omnium Fratrum qui sub eius Prouincialatus curâ existebant.

Aduerte tamen, quod si de iure communi loqui velimus, potestas hæc communicandi alijs bona spiritualia communia non ad solos Prælatos, sed etiam ad ipsam Congregationem, seu conuentum pertinet: sicut enim conuentus habet ius aliquod vnà cum Prælato administrandi bona temporalia: ita & spiritualia, cum hæc magis sint illis propria. Notat tamen Nauarrus suprà, ex consuetudine & præscriptione eam facultatem esse iam penès solos Prælatos, eo quod conuentus seu subditi parùm curarunt administrationem, & communicationem dictorum bonorum spiritualium, quam Prælatorum dispositioni reliquerunt.

5. *Potestas communicandi bona opera Congregationi non solùm Prælatis, sed & ipsi Conuentui competit.*

Quæri autem posset an Generalis, vel capitulum Generale prohibere possit Prælatis subalternis, vt Prouincialibus, & superioribus localibus, ne benefactoribus concedant litteras participationum. hoc dubium tangit Peirinis suprà *num. 11.* & docet in casu particulari ex causâ rationabili prohibitionem hanc fieri posse; addit tamen generalem prohibitionem huius rei fieri non posse, eo quod de iure

6. *Quid possit Capitulum generale super hâc potestate Prælatorum.*

iure ordinario, & ex officio cuilibet Prælato dictorum bonorum administratio, & dispensatio competat; consulendum tamen est amicis & benefactoribus vt quærant potius litteras participationum à P. Generali, non solùm quia illę absque dubio sunt perpetuæ; sed etiam eo quòd per illas multò plures effectus per modum satisfactionis, & impetrationis consequantur, quam per Participationes vnius solùm Prouinciæ, cum scilicet participent in bonis operibus totius Ordinis.

SECTIO SECVNDA.

An communicatio bonorum operum quæ fit benefactoribus per Prælatos sit mystica quædam adoptio?

7. REspondeo affirmatiuè, amicos scilicet & benefactores quos Prælati reddunt participes bonorum operum Ordinis per mysticam quandam adoptionem fieri de corpore Religionis tanquam filij adoptiui: naturales enim filij Religionis sunt ipsi Religiosi, qui vt tales habent verum

verum ius ad bona communia Religionis tanquam suæ matris: benefactores verò per illam bonorum operum communicationem fiunt filij adoptiui, & ordini incorporantur, & eo sensu tanquam suo modo membra Ordinis, participant de influentijs, & bonis totius corporis: & hæc est ratio cur litteræ Participationum vocentur litteræ filiationis, seu Fraternitatis, eo quod Religiosi in Fratres, & Religio in filios eos adoptent, & recipiant.

Nonnulla autem similitudo reperitur inter adoptionem hanc mysticam, & ordinariam seu ciuilem: sicut enim adoptionis ciuilis origo antiquissima est, nec solùm apud Romanos, sed & Græcos, & Iudæos in vsu fuit, vt patet de adoptione Moysis à filiâ Pharaonis: ita mystica hęc adoptio antiqua valdè est, vt *quæst. 1.* abundè patet, & in singulis Ordinibus semper practicata. Per adoptionem qui non est naturâ filius, lege ciuili adsciscitur in filiũ. *in lege adoptio:* per adoptionem hanc mysticam extraneus, & qui non est filius Religionis, ei incorporatur & adoptatur. Per Prætorem olim fiebat filiorum adoptio, teste Gellio *lib. 5. cap. 19.* per Generalem modò fit pro toto ordine externorum spiritualis adoptio. Ad ciuilem adoptionem non

8. *Similitudo inter adoptionem mysticam per Participationes, & ciuilem.*

non requiritur defectus filiorum, sed vnà cum naturalibus extranei adoptari possunt: ita in Religione vltrà filios naturales qui sunt Religiosi, illis coniunguntur plures extranei adoptiui. Ad hoc autē adoptatur filius, vt successionem ab intestato in bona Patris adoptiui, etiam cum legitimis & naturalibus habeat, vt Iustinian. *lib. 1. Instit. tit. 11. de adoption. §. sed hodie.* & insuper ex intentione & testamento æqualiter cum alijs de bonis Patris participat: ita per adoptionē spiritualē benefactores primò absque expressâ intētione ob solam vnionem fraternę charitatis participant in bonis spiritualibus Religionis matris, vnà cum filijs naturalibus; & insuper per expressam intentionem, & voluntatē Prælatorum, & Religiosorum cōmunicant etiā in varijs alijs bonis operibus. Deniq; sicut per adoptionem ciuilem adoptiuus fit de familiâ adoptantis, & bona adoptantis transeunt in potestatem adoptiui, & bona adoptiui in potestatē adoptātis: ita in proposito benefactores fiunt de corpore mystico Religionis, sic vt non solùm bona spiritualia totius Religionis transeant in eorū potestatē per participationem; sed eorum etiam bona spiritualia fiant ipsius Religionis per mutuā cōmunicationem & participationem

pationem; vndè liberè dicere possumus gratiâ in hâc adoptione spirituali esse çquè potentem, immò & superare naturam, seu legem ciuilem, cum tantùm plus boni per adoptionem hanc spiritualem acquiratur, quam per ciuilem, quantùm spiritualia temporalibus prævalent.

QVÆSTIO QVINTA.

De potestate quam habent Superiores in fructum bonorum operum suorum subditorum.

SECTIO PRIMA.

Quam potestatem habet Prælatus in applicatione fructus bonorum operum subditorum?

QVoniam quęstio hęc plurimùm iuuat ad plenam explicationem fructus

Participationum, ideò eam non immeritò præmisimus.

1. *Quomodo fructus bonorum operum sit res spiritualis, & materia obedientiæ.*

Nota primò, licet fructus bonorum operum sit res spiritualis, est tamen materia voti obedientiæ, eiusque applicationem alijs faciendam, præcipere potest Prælatus, quia licet applicatio boni operis sit actus internus, quem proinde non potest directè præcipere; potest tamen indirectè, quatenus actui externo coniungitur, & necessarius est ad rectè disponendum de actu externo: v.g. celebratio Missæ, Communio, sunt res externæ quæ cadunt sub dispositionem, & præceptum Prælati; quia tamen non potest Prælatus legitimè de illis disponere, nisi præcipiat actum internum illis coniunctum, & ad hoc necessarium; ideò dicitur ex consequenti, & indirectè præcipere posse applicationem internam bonorum operum, tanquam necessariam ad dispositionem boni operis externi: sic enim Ecclesia præcipit attentionem in horis Canonicis. Deinde hâc in re est specialis aliqua ratio in superioribus Religionum respectu subditorum, quæ non est in Prælatis Ecclesiæ: hi enim habent solam potestatem iurisdictionis in subditos; Superiores autem Religionum vltrà potestatem iurisdictionis, habent etiam

etiam dominatiuam, vt rectè Aragonius *2.2. q. 88. art. 8.* virtute cuius habent quoddam dominium, & liberam dispositionem voluntatis subditorum.

Nota secundò, Religiosum per votum obedientiæ se totum, suamque voluntatem consignasse inter manus superioris, vt patet ex Bonifacio 8. *cap. si Religiosus in 6: si Religiosus, cuius arbitrium non ex suâ, cum velle, vel nolle non habeat; sed ex illius quem vice Dei super caput suum posuit, & cuius imperio se subiecit, voluntate dependet.* Hæc autem consignatio, & subiectio voluntatis in Religioso oritur, non solùm ex voto obedientiæ, sed maximè ex traditione, quâ vota emittendo seipsum tradit Religioni: sicut enim cum quis rem suam alteri donat, & tradit, desinit esse sui iuris, eamque facit esse alterius, & sub illius potestate collocat: ita Religiosus seipsum tradendo Religioni, se priuat iure & potestate quam habebat in seipsum, & suam voluntatem, & Religioni, seu Prælato ius illud, & potestatem donat; itaut per donationem illam, & traditionem Prælatus possit Religioso vti, & disponere tanquam de re suâ; & hoc est quod Patres communiter docent Religiosum non esse sui iuris, sed totum esse sub dominio, & potestate Prælati,

2. *Religiosus per professionem se totum tradit Religioni.*

lati, virtute donationis quâ seipsum Religioni tradidit. Ex hâc autem consignatione, & traditione, sequitur Religiosum in omnibus teneri exequi voluntatem superioris. Dubitatur verò an exinde Prælatus acquirat tantam potestatem in voluntatem subditi, vt possit pro libitu de bonis operibus illius disponere, vnde

3. *Religiosus non se priuauit dominio bonorum operum.*

Dico primò, Religiosus per professionem non se priuauit dominio bonorum suorum operum. Patet, quia neque per votum paupertatis, neque per votum obedientiæ, aut traditionem Religiosam, cum econtrà Religiosus resignet voluntatem in manibus superioris, vt hoc modo sub alterius regimine positus facilius virtutis impedimenta possit superare; hæc enim abnegatio voluntatis est medium, quo maiores sibi bonorum operum diuitias accumulare possit. Cum igitur Religiosus maneat dominus bonorum suorum operum, potest ea alijs applicare, sic potest pro alijs satisfacere, eo modo quo alij qui sunt pleni sui iuris, saltem non contradicente Prælato, quia vt inquit Nauarrus *Miscellanco 11. de Rosario, num. 9.* nullo iure naturali, diuino, nec humano eâ potestate priuantur.

Dico

Dico secundò, Religiosus licitè potest alijs promittere applicationem fructus bonorum operum, puta rosarij, ieiunij, &c. modò superior non contradicat, eamque promissionem tenetur exequi. Probatur, licitè potest ea alteri applicare, ergo à potiori poterit applicationem promittere, sic vt exequi teneatur: fructus enim bonorum operum sunt sub eius dominio, & liberâ dispositione, vbi superior non impedit, poterit igitur illos alijs promittere; promissio autem eorum quæ sunt in liberâ promittentis dispositione, est valida. Poterit tamen Prælatus promissionem irritare, & obligationem tollere. Patet ex potestate quam habet irritandi quælibet vota subditorum; si enim tanta est dependia Religiosi à voluntate sui Prælati, vt votum, seu promissio Deo facta non sit firma & stabilis, nisi Prælatus eam ratam habuerit, & possit pro suâ voluntate eam irritare: à potiori eandem dependentiam habebunt promissiones Religiosorũ factæ hominibus, rerum aliàs non prohibitarum, vt dicendi Rosarium, &c. quæ cum fiant ab eo qui non est plenè sui iuris, non erunt ita firmæ & stabiles, quin reuocari, & irritari possint à Prælatis, cum tacitam conditionem includant, casu quo Prælatus

4. *Religiosus potest alijs promittere fructus bonorum operum.*

id ratum habuerit, & nõ irritauerit. Confirmatur, si Religiosus vouens Deo Rosarium, potest ab illâ obligatione liberari per Prælati irritationem; ergò ab câdem obligatione promissoriâ magis liberari poterit, qui alteri applicationem Rosarij promisit, cum sit maior obligatio contracta per votum, quam per promissionem homini factam.

5. *Prælatus potest præcipere applicationem bonorum operum subdito.*

Dico tertiò, potest Prælatus præcipere subdito applicationem fructus quorundam bonorum operum alijs, & subditus obedire tenetur, modò Prælatus modum non excedat. Patet, quia præceptum illud non excedit materiam voti obedientiæ, debet igitur subditus illud exequi. Deinde necessarium est ad bonũ regimen Religionis, vt quandoque iustis de causis Religiosus præcipiente Prælato alijs applicet fructus aliquos bonorum operum. Quantum autem se extendat hâc in re potestas Prælatorum, maior est difficultas, vnde

6. *Fructus applicatur secundùm intentionem subditi.*

Dico quartò, si Prælatus præcipiat subdito vt applicet alicui fructum bonorum operum, & subditus contrà obedientiam pro suâ voluntate applicet alteri, applicatio subditi prævalebit, & habebit effectũ, licet Prælatus non solùm præceperit applicationem, sed & actu fructum illum appli-

applicuerit. quod verum est spectando solam obligationem voti obedientiæ. ita Suarez *3. p. tom. 4. disp. 54. sect. 5. n. 10.* Peirinis *tom. 1. de subdito, q. 1. cap. 6. § vnico.*

Probatur primò, subditus habet dominium fructus suorum bonorum operum, & vbi non est præceptum Prælati contrarium, potest sibi, & alijs licitè, & validè illum applicare; licet igitur teneatur obedire Prælato, ideoque peccet contrà faciens, validè tamen, licet illicitè applicat, cum donet alteri quod est verè suum.

Secundò, Religiosus per votum obedientiæ obligauit quidem seipsum ad parendum in omnibus quæ præceperit Prælatus, ideoque si fructum applicet contrà voluntatem Prælati, facit quidem contrà obedientiam, factum tamen manet, cum dederit id quod est in eius potestate positum, & cuius dominio non se spoliauit.

Tertiò, valor moralis operis boni quoad applicationem huic vel illi faciendam, pendet intrinsecè ex intentione operâtis, eamque quoad effectum sequitur; nec superioris applicatio contraria prævalere potest, cum sit solùm extrinseca; vnde si subditus alicui contrà obedientiam fructum boni operis applicet, valida erit applicatio. Nec obstat quod omnes actus Religiosi 7.

giosi ita sint subordinati, vt licet habeat dominium fructus bonorum suorum operum, ratione illius subordinationis, dominium illud ita videatur ligari, & restringi, vt non possit non modò licitè, sed nec validè illum alijs applicare contrà voluntatem Prælati; eo modo quo in Religiosis Societatis Iesu post emissa vota simplicia, remanet adhuc dominium rerum temporalium, sic tamen ligatum, & subordinatum Prælato, vt nec licitè, nec validè de illis disponere possint: non obstat, inquam, quia est magna ratio diuersitatis inter illa duo, dominium enim temporale Religioforum Societatis, est omninò ligatum, sic vt eorum dispositio ab eis sublata sit, sicut ab ijs qui votum solemne paupertatis emiserunt; ideoque non est mirum, si non possint de temporalibus, validè disponere, cum ab eis ea potestas sublata sit: at verò in bonis spiritualibus, ita Religiosus habet dominium, vt solùm dicatur ligatum, quatenus tenetur obedire Prælato præcipienti applicationem eorum alteri; cùm igitur hæc restrictio solùm sit ad præstandam Prælato obedientiam, non impedit quo minus validè, licet illicitè alijs fructus suorum operum applicet, contrà voluntatem Prælati.

Deinde

Deinde quod inualidè fiant donationes rerum temporalium contrà voluntatem Prælati à ſubditis habentibus earum dominium, eſt ratione voti paupertatis; quod non habet locum in applicatione bonorum operum, quæ tantùm cadunt ſub votum obedientiæ.

Dixi in concluſione (ſpectando ſolam obligationem voti obedientiæ) quia ſi ſpectetur obligatio, & onus contractum per profeſſionem, & traditionem Religioſam, aliter loquendum eſt, vt concluſione ſequenti.

Aduerte tamen concluſionem intelligendam eſſe, vbi præceptum Prælati non obligat ad mortale; poteſt enim præcipere ſubdito applicationem boni operis, abſque præcepto formali, & obligatione ad mortale; ſi tamen præceptum obligaret ſub mortali, tunc nullus eſſet fructus, ſcilicet ſatisfactorius reſpondens applicationi ſubditi, nec Prælati, vt innuit Peirinis *ſuprà* §. *ſi quæras*, quia cum applicando fructum ſui operis contrà voluntatem Prælati, peccaret mortaliter, nulla ſatisfactio operi reſponderet, cum non fieret in ſtatu gratiæ. 8.

Dico quintò, ſi Prælatus præcipiat ſubdito applicationem quorundam bonorum operum 9. *Voluntas Prælati*

præualet cum præcipit applicationem fructus in exonerationem obligationum conuentus.

operum ad satisfaciendum promissioni factæ benefactoribus, qui pro eleemosynâ temporali, spiritualem rogarunt, sicut & ad satisfaciendum alijs oneribus spiritualibus Religionis, ita tenetur subditus parere voluntati Prælati, vt si contrà illam alteri applicet, iuxtà Prælati intentionem, & applicationem proderunt, non subditi. & hoc puto intendere Aureolum *in 4. dist. 21. art. 2.* cum ait Prælatum habentem aliquam Congregationem, posse facere communicationem bonorum spiritualium suorum subditorum, per modum recompensationis. & facilè subscribet Corduba *lib. de Indulgentijs. qu. 39. dicto 3. & 4.* cum plus aliquid dicat. & Nauarrus *Miscell. 11. de Rosar. n. 9.* id autem non tam oritur ex voto obedientiæ, quam ob traditionē, quâ Religiosus se Religioni dedit. Probatur, quia Religiosus per professionem se totum Religioni tradidit, & illius membrum se constituit, quo factum est, vt sicut tanquam membrum de bonis Religionis gaudet, ita illius onera ferre tenetur, ad quod se per professionem obligauit; proindeque per traditionem Religiosam, ita super se obligationes spirituales onerosas, iuxtà superioris dispositionem suscepit, vt in illis, iure aliter disponendi

nendi se priuauerit ; sicque licet aliter contrà superioris præceptum, de bonis operibus disponat, inualida erit dispositio, & irritatur per contrariam voluntatem in professione, & sui traditione expressam; prior enim voluntas, posteriorem irritam & inualidam reddit. Confirmatur primò, eo ipso quo Religiosus per professionem fit membrum Religionis, Religio ipsum facit participem omnium suorum bonorum ; ex parte verò suâ, sicut recipit participium in bonis, ita verè & voluntariè suscipit omnia onera illius, & seipsum ad id obligat ; cum igitur Prælatus præcipit applicationem operis boni promissi in compensationem eleemosynæ, ita obligatur subditus ad illud onus, vt licet alteri contrà voluntatem Prælati applicet, manebit tamen applicatum iuxtà voluntatem Prælati, ob dictam voluntariam susceptionem onerum Religionis, quæ habet rationem virtualis applicationis, & est quasi implicita abdicatio potestatis aliter disponendi, proindeque prior illa virtualis applicatio prævalet. Confirmatur secundò, posterior voluntas & applicatio, quam contrà voluntatem Prælati facit subditus, non potest priorem, licet generalem irritare, quia prior

prior habet se per modum cuiusdam contractus initi inter Religionem & Religiosum, quem Religio pro suâ parte executioni mandauit, reddendo eum participem suorum bonorum, proindeque eidem stare debet Religiosus, maximè cum contractus ille, sicut & professio approbata sint, & confirmata ab Ecclesiâ; eum igitur non solùm suâ voluntate, sed & Ecclesiæ auctoritate onera Religionis susceperit, non potest per posteriorem voluntatem retrocedere, Religioni enim obligatus manet, cui obligationi debet satisfacere, itaut bona illius spiritualia necessaria ad exonerationem onerum Religionis maneant quasi arrestata, & extrà liberam dispositionem illius.

10. Hæc tamen sic intellige, non quasi velimus solum præceptum Prælati, aut eius applicationem sufficere, vt bona opera subditi alijs actu prosint, absque applicatione actuali, aut saltem virtuali operantis, cuius contrarium conclusione sequenti dicemus; sed quod ipsa traditio, quâ Religiosus se tradidit Religioni habeat rationem applicationis virtualis, quæ sufficit, vt fructus boni operis illius applicetur secundum voluntatem Prælati; vnde sufficit præceptum Prælati, absque eo quod

quod faciat applicationem, cum illa non habeat effectum aliquem.

Aduerte etiam conclusionem intelligendam esse de veris oneribus, ad quorum exonerationem obligatur subditus, quia si Prælatus pro suâ voluntate promitteret satisfactiones suorum subditorum plurimis amicis sine causâ legitima, & nimis frequens esset in præcipiendo subditis similes applicationes, tunc illæ non prodessent iuxtà intentionem Prælati, sed subditi, cum per professionem non intenderit se ad id obligare; quod etiam verum est, etiamsi casus esset, in quo obedire teneretur, ratio est, quia conclusio non fundatur in obligatione voti obedientiæ, quæ licet reddat applicationem subditi illicitam, non tamen inualidam; sed in voluntariâ traditione Religiosi, & susceptione onerum Religionis, vt dictum est. 11.

Dico sextò, Prælatus non potest alijs applicare fructum bonorum operum subditi, vt satisfactiones, nisi ipse concurrat per intentionem aliquam actualem, aut ad minus virtualem. Innuit Suarez *disp. 54. de Indulg. sect. 5. num. 10.* Probatur primò, actus subditi satisfactorius est humanus, & moralis, & vt talis, sicut habet intrinsecum, 12. *Sola intentio & applicatio subditi nunquam habebit effectum.*

secum, & essentialem ordinem ad ipsum operantem liberè, ita & ad operantem ex intentione; & sicut libertas alterius suppositi non potest reddere actum liberum, si non eliciatur à principio libero, ita intentio vnius, non potest attingere actum alterius, sed solus finis & intentio personæ operantis, quam actus intrinsecè respicit; aliæ vero intentiones sunt solùm extrinsecæ, & accidentales, quæ actum non possunt modificare; quod ita verum est, vt licet in subdito nulla esset intentio applicandi alicui fructum sui operis, intentio tamen, & applicatio Prælati nunquam effectum sortiretur, cum ad id non sit sufficiens, solus enim operans habet immediatam potestatem in illud opus, Prælatus verò solùm habet potestatem in voluntatem operantis, præcipiendo, & obligando vt iuxtà suam voluntatem fructum applicet.

33. Secundò, subditus est dominus fructus bonorum operum, vt dictum est, ergo nullus potest illum applicare alijs, ipso non concurrente. Tertiò, aliàs subditus nunquam esset certus in applicatione suorum bonorum operum, vel sibi, vel alijs, sed quoties vellet applicationem facere, deberet tacitam conditionem subintelligere,

nisi

nisi Prælatus alteri applicauerit, quod esset subditis onus intolerabile.

Dixi in conclusione, requiri ad minus virtualem intentionem subditi, hanc enim quandoque sufficere, tum ex dictis, tum ex dicendis constabit.

SECTIO SECVNDA.

Quam potestatem habet Prælatus in applicatione fructus sacrificij Missæ subditorum?

14. *Quidam volunt fructum sacrificij sequi intentionem Prælati non subditi.*

COrduba *l. 1. q. 3. opin. 6.* Fraxinellus *de oblig. Sacerd. sect. 7. §. 7.* docent, vbi subditus regularis contrà præceptum, & intentionem Prælati applicat fructum sacrificij vni, & Prælatus alteri, quod intentio & applicatio Prælati prævaleat, & iuxtà eam fructus applicetur; & plures alios secum citant in hâc sententia. Probant, quia Prælati sunt domini actionum suorum subditorum, quæ officere possunt obedientiæ: sed intentio subditi Missam dicentis est actio, quâ violari potest obedientia, ergo subditur voluntati

tati Prelati. Rodericus *in sum. p. 1. c. 231. num. 10.* dicit Prælatum posse quidem irritare intentionem subditi, cum suæ potestati subdita sit; nunquam tamen posse cum effectu applicare fructum alteri, cum applicatio sit actus personalis dicentis Missam; proindeque applicabitur alijs indigentibus iuxtà dispositionem diuinam.

Suarez *3. p. tom. 3. disp. 79. sect. 9.* docet subditum validè, & cum effectu applicare fructum sacrificij contrà voluntatem superioris, itaut intentio, & applicatio subditi prævaleat.

15. *Applicatio fructus sacrificij facta à subdito offerente prævalet.*

Dico primò, cum Prælatus præcipit applicationem Missæ vni, & subditus contrà eius voluntatem applicat alteri, intentio, & applicatio subditi prævalet, & effectum sortitur, peccat tamen, quia illicitè contra obedientiam id facit. quod intellige præcipuè si solam obligationem obedientiæ in subdito attendamus. Ita Suarez suprà. Peirinis *de subdito, q. 1. c. 6. §. vnico.* Probatur, sicut in administratione Sacramentorum Sacerdos operatur vt minister Christi, ita & in oblatione huius sacrificij, & in applicatione fructus illius: sicut igitur in administratione Sacramentorum nulla potestas superioris potest irritare intentionem subditi, itaut si subditus

baptizet

baptizet aliquem cum intentione, baptismus est validus, nec potest Prælatus intentionem illam irritare; ita si subditus velit offerre sacrificium Missæ, & applicare fructum alicui, superioris potestas nunquam potest intentionem offerendi sacrificium irritare, sicut nec intentionem applicandi fructum eius alicui. Respondet Rodericus suprà, esse rationem diuersitatis, quia ratio cur Prælatus non possit irritare intentionem offerendi sacrificium in subdito, est, quia est de essentia sacrificij, & sine illa sacrificiũ nullum esset, nil habet autem Prælatus super essentialibus Sacramentorum, sicut nec Ecclesia; intentio verò quâ subditus fructum sacrificij alicui applicat, non est ita de essentia sacrificij, quin si Prælatus velit eam irritare, remaneat adhuc verum sacrificium. Sed hæc responsio non sufficit, licet enim intentio applicandi fructum non sit de essentia sacrificij, fit tamen per subditum vt agentem ministerium Christi, Sacerdos enim non solùm agit vt minister Christi offerendo sacrificium, sed & applicando fructum alicui, vt patet ex forma ordinationis: *Accipe potestatem offerendi sacrificium pro viuis, & defunctis*, ex quâ colligitur, quod sicut est actus potestatis ordinis offerre sacrificium;

cium; ita & offerre pro tali, aut tali; cum igitur vtraque hæc potestas per modum vnius data sit à Christo, non potest Prælatus magis irritare intentionem applicandi fructum sacrificij in subdito, quam offerendi ipsum sacrificium.

16. Dixi (præcipuè si solam obligationem obedientiæ in subdito attendamus) quia si attendatur obligatio orta in subdito ex sui traditione ipsi Religioni, quæ vt *dub. 1. concl. 5.* dictum est, habet rationem intentionis virtualis, cum Prælatus præcipit applicationem alicuius boni operis in exonerationem conuentus; tunc est specialis ratio dubitandi, an sicut in eo casu fructus bonorum operum applicantur iuxtà voluntatem Prælati: ita & in sacrificio Missæ. ad quod

17. *Fructus sacrificij semper applicatur iuxtà intentionem subditi offerentis.* Dico secundò, cum Prælatus in exonerationem conuentus præcipit subdito applicationem fructus sacrificij, licet in alijs bonis operibus fructus applicetur iuxtà intentionem Prælati, quãuis subditus per contrariam voluntatem renitatur; in sacrificio Missæ fructus applicabitur iuxtà præsentem subditi voluntatem, & applicationem. Probatur, ideò in alijs bonis operibus fructus applicatur iuxtà voluntatem Prælati, quia prior voluntas habita in pro-

in professione per traditionem sui, quæ virtualiter perseuerat, prævalet posteriori quam habet subditus, cum sit eadem persona eodem modo se habens, quæ vtrumque actum elicit: at verò in subdito applicante fructum sacrificij, mutatur ratio personæ; is enim vt persona priuata tradidit seipsum Religioni in professione, & se ad omnia onera obligauit; applicando verò fructum sacrificij Missæ agit vices Christi, & vt minister eius offert, & applicat fructum sacrificij, sicque egreditur limites personæ priuatæ; ideoque obligatio contracta per traditionem Religiosam, & virtualis illa applicatio, non potest irritam reddere præsentem intentionem, & applicationem quam habet modo vt minister Christi, sed hæc cum sit superior prævalet, & effectum sortitur; sicque in omni euentu applicatio fructus sacrificij facta à subdito semper habebit effectum, renitente etiam Prælato, & contrariam applicationem præcipiente.

Ex dictis patet quantùm extendatur potestas Prælatorum in fructus bonorum operum subditorum, & quomodo eâ vti possint in Participationibus, quod lucem aliquam quæstioni sequenti præstabit.

QVÆSTIO SEXTA.

De effectibus Participationum.

SECTIO PRIMA.

An Prælati per Participationes communicare posſint alijs bona opera præterita Religionis?

1. *Non potest Prælatus applicare satisfactiones præteritas.*

DIco primò, Prælatus non potest per Participationes communicare alijs præteritas satisfactiones suæ Religionis, patet ex dictis *quæst. 3. sect. 2. & 3.* quia satisfactiones debent habere suum effectum in aliquo quando fiunt, aliàs earum applicatio non suspenditur, sed redeunt in thesaurum Ecclesiæ, & potestatem humanam egrediuntur, proindeque nullæ satisfactiones præteritæ sunt in liberâ dispositione Prælatorum. Vnde rectè Nauarrus *Miscell. 11. de Rosar. num. 7.* docet

iure

iure potius militari, quam canonico, quendam suum Auum virũ militarem, donasse fratri suo etiam militi in prælio occiso, omne meritum ieiuniorum, quæ per septem annos diebus sabbatinis in honorem D. Virginis obseruarat; additque alios eiusdem conditionis pro tunc idem fecisse potius bonâ fide, quam eruditâ ratione; falsò enim arbitrabantur fructum satisfactorium illorum bonorum operum præteritorum, ita adhuc esse in eorum dispositione, vt possent se illo priuare, ad communicandum alijs. nisi fortè intenderint applicare ea bona quoad effectum impetratorium, sic enim possunt alijs prodesse, vt concl. sequent.

Dico secundò, potest Prælatus communicare alijs omnia bona opera præterita suæ congregationis quoad effectum impetrationis, hoc sensũ, offerendo scilicet Deo omnia bona opera quæ hactenus facta sunt in ordine, ad facilius obtinendum aliquid pro alijs. Ita Nauarrus suprà, & Rodericus *tom 1. q. 34. art. 5.* his verbis: *quantùm autem ad vim meritoriam, tàm ipse qui facit, quàm quicumque Prælatus eius mediatus, vel immediatus, potest semper ante, vel post communicare seu applicare talia bona præterita, præsentia, & futura, quibuscumque*

2. *Potest tamen applicare bona opera præterita ad effectum impetrationis.*

voluerit, vt virtute talium meritorum mereatur de congruo ipsi, vel alijs bona spiritualia, seu temporalia. & ante eum Corduba *l. de Indulg. q. 39. quoad meritum congrui seu impetrationis possunt applicari aliorum bona opera præterita, præsentia, & futura:* id enim commune est in Ecclesiâ, vt cum aliquid à Deo obtinere volumus, ad id facilius impetrandum, ei merita Christi, & Sanctorum repręsentemus, sic enim licet fortè nil in nobis dignum inueniat impetratione, intuitu tamen eorum meritorum quæ illi repræsentantur, facilius petita concedit. hinc in Canone Missæ dicitur: *Communicantes, & memoriam venerantes imprimis, gloriosæ Virginis Mariæ, & c. quorum meritis, precibusque concedas, vt in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio.* vbi nota verbum *Communicantes,* quod ad nostrum propositum conducit, sic enim nobis communicantur merita Sanctorum, vt scilicet ea Deo repræsentando, eorum intuitu nos speciali auxilio in omnibus protegere dignetur. sic Ezechias *4. Reg. 20.* ægrotans recepto nuntio mortis ab Isaiâ, volens impetrare à Deo sanitatem, merita sua præterita ei repræsentat: *Obsecro domine, memento quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum est feceris.*

fecerim. Salomon *Psalm. 131.* repræsentat Deo merita Patris sui Dauid ad impetrandum quod intendebat dicens: *Memento domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius.* super quo Bellarminus ait: *Deus vult prari per merita hominum iustorum, & propter eadem merita multa concedit, quæ alioqui minimè concessisset.* Imprimis autem id constat ex Litanijs Sanctorum, in quibus Ecclesia repræsentat Deo incarnationem, aduentum, passionem, & resurrectionem Christi, ad facilius impetrandum ea quæ postulat: eodem etiam modo possunt Prælati Religionum, sicut etiam quidam aliquando obtulerunt Deo omnia præterita merita suæ congregationis, tanquam sibi peculiari modo propria, vt Deus eorum intuitu placatus, auertat iram, & flagella à regno, aut etiam ab ipsâ Religione; vnde per Participationes sicut reddunt alios participes bonorum operum futurorum, possunt & omnium meritorum præteritorum in dicto sensu.

Notandum tamen, quòd modus iste communicationis meritorum præteritorum non fiat, quasi aliquid eorum alijs tribuatur, cum hoc non sit in hominis potestate, sed fit per modum repræsentationis, & applicationis obiectiuæ, itaut

Deus ad illa attendens, moueatur ab eis, tanquam ab obiecto eum excitante ad conferendum ea, quæ virtute illorum obtinere intendimus; licet autem ad hunc effectũ possit quilibet quorumlibet Sanctorum merita Deo offerre, cum tamen quis de corpore Religionis offert Deo omnia merita totius Ordinis, facilius à Deo aliquid impetrabit, cum offerat merita aliquo modo, licet remoto ad ipsum pertinentia, scilicet suæ Religionis, cuius est membrum; & vbi Deo maiora merita offerentur, ibi facilior erit impetratio; licet enim vt rectè docet Conink *3. p. q 83. art. 1. num. 184.* non plus meriti, aut satisfactionis acquirat is qui omnium Sanctorum merita Deo offert, quam si vnius solùm offerret, ob rationem ibidem tactam, multò tamen plus prodest ad effectum impetrationis oblatio meritorum omnium Sanctorum, cum obiectum sit potentius ad mouendum Deum vt postulata concedat.

4. Quamuis autem eâ methodo vti possent Prælati in suis Participationibus, communicando suo modo bona opera præterita suæ congregationis, sicut fecit aliquando S. Anselmus *l. 1. epist. 37. ad Frodelinam*, vbi ait: *si quid boni Iesus Christus Dominus*

minus noſter in me operatum, aut operaturus eſt, oro ego vt concedat ipſe, vt vobis non aliter, quam mihi imputetur. Communiter tamen in Litteris fit ſolùm expreſſa mentio bonorum operum præſentium & futurorum, idque fortè ideò, quia cum quis recipitur ad communionem bonorum operum Religionis, fit membrum illius, & omnia merita præterita Ordinis ita fiunt aliquo modo ipſius, vt acquirat quaſi ius aliquod ea Deo repræſentandi & offerendi, quaſi ſibi propria, ad facilius quippiam impetrandum, ſicque ipſo facto cenſetur in illis participare, ad quod tamen communiter opus eſt dictâ actuali repræſentatione & oblatione Deo factâ; pro præſentibus verò, & futuris bonis operibus id non requiritur, ſed eo ipſo quo quis per Participationes fit membrum congregationis, plures ſpeciales effectus inde recipit. Interim tamen non video cur bona opera Ordinis præterita nõ poſſent etiam deſeruire ad impetrandum ſpeciales effectus à Deo, abſque eo quòd actu illi offerantur, & repræſententur: ſic enim *Gen. 19. Recordatus Deus Abrahæ liberauit Loth de ſubuerſione vrbium in quibus habitauerat.* & *4. Regum 11.* reliquit Deus tribum vnam Regi Roboam, propter Dauid ſeruum

ſuum,

ſuum, &c. hoc igitur modo Deus plurima confert beneficia Religionibus ob ſanctitatem Patriarchæ, & plurimorum aliorum qui piè in illis Deo inſeruierunt: cum enim corpus myſticum Religionis componatur non ſolùm ex viuentibus, ſed & defunctis, qui omnes per charitatem inter ſe vniuntur, ideò benedicit Deus præſentibus ob recordationem variorum bonorum operum quę Religioſi defuncti, aut etiam viuentes, aliquandò præſtiterunt; & ſic putandum eſt eos qui ad participium bonorum operum admittuntur, ſuo modo participare in bonis operibus præteritis, cum gaudeant ijſdem fructibus quibus Religioſi; nec opus eſt vt illud in litteris Participationum exprimatur, cum id ex vnione cum membris Religionis, factâ per dictas litteras oriatur.

5. *Bonum eſt offerre Deo merita Ordinis ad impetrandum aliquid.*

Hinc patet conſulendum eſſe non tantùm Religioſis, ſed & alijs receptis ad participium bonorum operum Ordinis, vt cum volunt quippiam à Deo impetrare, illi ex animo offerant omnia merita præterita illius Religionis, cuius facti ſunt membra: cum enim merita illa eis aliquo modo ſint propria, ob vnitatem corporis Religionis, plurima indubiè

indubiè à Deo beneficia per illa impetrabunt. Et hoc à pluribus practicatum docet Nauarrus suprà his verbis: *Prælati & congregationes solent aliquando omnia merita sui Ordinis, etiam præterita præsentare Deo, ad placandum iram eius, si quam contrà suum regem, vel regnum, vel patronum, aut aliquem alium maximum amicum conceperit.* Deinde valdè proficuum est offerre Deo pro quibusdam morientibus, aut etiam defunctis, omnia merita præterita tum sua, cum suæ Religionis, quatenus eorum intuitu Deus morientibus fælicem mortem concēdat, & defunctos à pœnis liberos reddat, quod fructuosè fit à quibusdam vt docet Corduba *de Indulg. q. 39. Per viam meriti, seu impetrationis*, inquit, *valet communicatio bonorum suorum præteritorum, & concessio eorum, quam aliqui piè faciunt aliquibus existentibus in articulo mortis, seu etiam iam defunctis.*

SECTIO

SECTIO SECVNDA.

Quo sensu illi quibus dantur Participationes, dicantur admitti ad participationem omnium Sacrificiorum, Orationum, Vigiliarum, Peregrinationum, Ieiuniorum, Abstinentiarum, Prædicationum, Disciplinarum, & omnium bonorum operum?

6. *Recepti ad communionem nō recipiūt partem fructus omnium bonorum operum.*

Dico primò, cum quis ad participium bonorum operum Religionis receptus, dicitur fieri particeps omnium Sacrificiorum, & aliorum bonorum operum quæ à singulis totius Religionis Fratribus fiunt, non est sensus quod recipiant portionem aliquam fructus respondentis singulis illis bonis operibus, eo modo quo illi, quibus ex intentione speciali applicantur. Ratio est, quia nullus hoc sensu participat in fructu bonorum operum, nisi per specialem operantis intentionem

tionem illi applicetur: constat autem omnia & singula bona opera non fieri à Religiosis eâ intentione, vt omnes admissi ad communionem bonorum operum, recipiant portionem aliquam de fructu singulorum. Deinde non reperitur similis participatio in ipsâ Communione Sanctorum quæ est in tota Ecclesia, in quâ omnes dicuntur etiam participare in bonis operibus aliorum; ergo neque in hâc communione bonorum operum alicuius congregationis; nec vllus hactenus hoc modo Participationes has interpretatus est.

7. *Omnia bona opera Ordinis concurrunt obiectiuè ad impetrandum alijs multa bona.*

Dico secundò, omnia sacrificia, & alia bona opera singulorum Fratrum Ordinis concurrunt obiectiuè ad impetrandum varia dona ijs, qui ad participium bonorum operum recipiuntur, & eatenus dicuntur reddi participes omnium bonorum operum Ordinis: Deus enim attendens sanctitatem corporis mystici Religionis, & omnia singulorum membrorum bona opera, eorum intuitu varias benedictiones impertit omnibus qui speciali charitatis vinculo in vnitatem illius corporis adunantur, inter quos sunt illi, qui recipi dicuntur ad participium bonorum operum Ordinis. id enim nõ solùm verum

est

est in Communione Sanctorum respectu totius Ecclesiæ, sed etiam in speciali communione bonorum operum, quæ est in singulis Congregationibus, in quibus quia omnes componunt speciale aliquod corpus mysticum, reperitur etiam mutua singulorum influentia; vnde qui recipiuntur ad participium bonorum operum Ordinis, duplici titulo participant in singulis bonis operibus illius, sicut & omnes Religiosi, primò per Communionem Sanctorum, tanquam membrum Ecclesiæ. Secundò per specialem hanc Communionem velut membrum Religionis. Neque ad hoc requiritur specialis aliqua intentio operantium, sed id ex naturâ rei oritur, quòd vnum membrum participet suo modo in bonis alterius. generaliter igitur cum dicitur inter omnes alicuius congregationis, sicut & inter omnes fideles omnia esse communia; bonum vnius alteri communicari; reperiri Societatem spiritalem inter illos, &c. sensus est, bonum vnius ita ob vnionem charitatis alteri imputari, vt Deus illius intuitu vt obiecto excitãte permotus, soleat alteri varia dona largiri, tanquã effectus impetrationis illius boni operis, quod ob dictã vnionem charitatis suo modo illi pertinere dicitur.

Hinc

Hinc patet non communicari alijs singula bona opera Religionis quoad effectũ meriti, & satisfactionis, sed solùm impetrationis, modo explicato, cum fructus meriti, & satisfactionis sic respondeat bonis operibus, vt ipsum operantem respiciat, & eius intentionem, & applicationem sequatur, nec alteri sine eius intentione expressâ, vel implicita applicetur. 82

SECTIO TERTIA.

An recepti per Litteras ad consortium bonorum spiritualium Ordinis, verè dici possint Communicare in Meritis totius Ordinis?

HIc modus loquendi satis vsitatus & verus plurimùm displicet Ioanni Petro Camo, eumque acerrimè reprehendit, & vt hæreticum damnat in suâ responsione ad Hermodorum *titulo de Confraternitatibus, §. 8. & 14. ad finem.* vbi dicit in opere bono reperiri meritum, & satisfactionem; & licet satisfactio vnius, 93

alteri

alteri applicari possit, nunquam tamen meritum, quod semper est merentis, vt Doctores communiter docent, proindeque Regulares per suas chartas filiationis communicare non possunt merita Ordinis, sed solas satisfactiones. Deinde addit nullos Sanctos, neque D. Virginem vnquam donasse alijs sua merita, sed Deum ea in integrum remunerare in cælis: & solum Christum infinita sua merita, & satisfactiones hominibus pro quibus mortuus est communicasse; & Regulares dum sua merita alijs communicant, se omnibus Sanctis præferre, & ex superbiâ Deo se similes efficere. sileo multa alia, quæ ibidem exaggerat, tanto viro certè indigna.

10. *Reijcitur Camus.*

Miror sanè Doctorem tam almæ Vniuersitatis in prædicto modo loquendi, vero & vsitato ita hallucinari, & ignorare distinctionem in scholis satis tritam, merita scilicet iustorum eatenus dici alijs communicari, quatenus vt *sect. 2.* dictum est, mouent Deum, & obiectiuè concurrunt ad impetrandum varia dona alijs, qui ad participationem bonorum operum recipiuntur. quod vt melius percipiatur, sciendum est hunc modum loquendi, quo dicitur Prælatos regulares communicare

alijs

alijs merita sui Ordinis, non esse inuentum à Fratribus idiotis, vt Religiosis imponit Camus, sed à Sanctis Patribus, & Doctoribus ortum habuisse: S. Cyprianus *Epist. 1.* ad Cornelium Papam ait: *in Meritis ac laudibus vestris nos quoque Participes ac socios computamus.* S. Anselmus *l. 1. Epistolarum Ep. 37. ad Frodelinam* pro titulo sic habet: *Precatur sanctissimæ mulieris participare Orationibus & Meritis.* & in epistolâ ait: *vt qui bonis meis Meritis me video valdè indigere, vestris me possem aliquātulùm per charitatis Cōmunionem miscere.* & infrà: *Peto etiā vt vestra beatitudo me in eandem charitatem suorum Meritorum Communioni aliquatenus dignetur admittere.* In tertia charta Participationū data per S. P. Frāciscum de Paula, quam *q. 1. sect. 6.* Retulimus sic habetur: *Quemlibet vestrum ad Confraternitatem nostrā recipio, plenam & specialem Participationem omnium charismatum, & operum Meritoriorum, &c. gratiosè conferendo.* Omitto alios Patres, vt Doctores proferam. Thomas Waldensis *lib. 3. Sacramental. tit. 10.* verè Catholicè cōtra Wielephum hæreticū tractatū hâc de re edidit, cui titulū dedit: *de Meritorum & Suffragiorum per litteras Participatione.* Corduba *lib de Indulg. q. 39.* Formatquæstionem, sub hoc titulo: *Ad quid*

Verè dici possunt merita alijs communicari.

valet tale Participium ad Merita alicuius, seu aliquorum. Rodericus *tom. 1. qq. regul. q. 33. art. 3. Valet ergo talis communicatio Meritorum alicuius personæ seu congregationis ad habendam à Deo gratiam conuersionis, &c.* & artic. 5. Simile quid repetit. Suarez *3. part. disp. 54. de Indulg. sect. 5. n. 2.* sic ait: *Prælati regulares habent potestatem concedendi aliquibus remissionem pœnarum, applicando eis bona Merita, & satisfactionem suarum congregationum.* & n. 6. *Admittunt ergo illos ad applicationem suorum Meritorum, & operum, præcipuè per modum impetrationis.* Ex his igitur patet communem esse Patrum, & Doctorum loquendi modum, vnum posse alteri Merita sua communicare, & quòd dum Prælati regulares in chartis Participationum dicunt se recipere aliquos ad consortium Meritorum Ordinis, Patrum & Doctorum normam imitentur.

11. *Quo sensu merita dicuntur aliis communicari.*

Posito igitur quod modus ille loquendi sit communis & vsitatus; ad rei veritatem veniendum est: dum igitur Prælati ad consortium Meritorum Ordinis alios recipiunt, non est sensus, quod partem Meriti singulorum bonorum operum illis communicent, & dum hoc sensu mentem Prælatorum interpretatur Camus, illis certè magnam irrogat iniuriam, eosque valdè

valdè supinâ ignorantiâ laborare arbitratur: quis enim qui tantisper Theologiæ principia delibauit, ignorat totum Meritum gratiæ & gloriæ esse solius merentis, nec vnquàm purum hominem, neque D. Virginem alteri quippiam sui Meriti communicasse, ea enim solius Christi prærogatiua est, qui omnia sua Merita, & satisfactiones hominibus communicauit. Non igitur ea est mens Prælatorum regularium, & vt hâc de re certior sit Camus audiat Regularem loquentem, Rodericum, scilicet vbi suprà: *Participium ad Merita non valet ad hoc vt ipsi participantes ex hoc immediatè sine vno bono opere, & dispositione habeant gratiam gratum facientem, seu charitatem: sicut neque ad Meritum aut præmium gloriæ, quia loquendo de lege ordinariâ nullus potest alteri de condigno mereri gratiam, & gloriam, sed tantùm de congruo.* Mens igitur Prælatorum regularium est, ita recipere alios ad consortium Meritorum sui Ordinis, vt fiant membrum illius, in quo omnia Merita eatenus dicuntur communia, quatenus ea omnia obiectiuè concurrunt ad impetranda à Deo varia dona & beneficia omnibus qui sunt de corpore Religionis, inter quos sunt illi quibus concessæ sunt chartæ filia-

tionis: Deus enim, vt dubio præcedenti dictum est, attendens sanctitatem corporis mystici Religionis, & omnia singulorum membrorum bona opera, eorum intuitu varias benedictiones largitur omnibus Religionis membris; & hoc, recipi ad consortium Meritorum Ordinis appellamus: quòd ita verum est, vt non solùm non sit censendus hæreticus qui hoc sentit, vt nimis probrosè arguit Camus; sed econtrà is iure meritò hæreseos arguendus sit, qui negare audet; quod sic probo, primò, de fide est quòd in Ecclesiâ sit Communio Sanctorum, id est, vt D. Thomas *Opusc. 6. c. 13. Inter alia credenda quæ tradiderunt Apostoli, est quod Communio bonorum sit in Ecclesiâ.* Quam Communionem ibidem docet consistere in hoc, quod bonum vnius communicatur alteri, vnde, inquit, *Qui in charitate vivit, particeps est omnis boni quod fit in toto mundo*, idque citrà aliquam specialem intentionem, ex solâ vnione charitatis. Ex quo tale formo argumentũ: de fide est quod per Cõmunionem Sãctorum omnia fideliũ bona opera & Merita, suo modo prosint alijs, & in illis omnibus cõmunicent, idque ex solâ vnione charitatis, citrà expressam intentionẽ, modo suprà explicato: sed Cõmunicatio bonorũ operum

rum & Meritorũ Religionis quam Prælati regulares per chartas filiationũ faciunt, est species quædam Communionis Sanctorũ, magis tamẽ ad particulare corpus Religionis restricta, quę in generali Communione tanquam species in suo genere continetur. Ergo qui negat Cõmunicationem bonorũ operum & Meritorũ fieri in Ordinibus regularibus, negat cõsequenter Communionem Sãctorum, quę est in Ecclesiâ, & vnum alteri bona sua opera & Merita communicare posse, modo suprà explicato, quod est hæreticum. Deinde certum est in cõmuni Theologiâ, bona opera vnius non prodesse alteri quoad effectũ satisfactionis, nisi operans id specialiter intẽdat: Religiosi autem nõ intendunt partem satisfactionis ortæ ex singulis bonis operibus cõmunicare omnibus receptis ad cõsortium bonorum operum Ordinis; sicut nec quilibet fidelis intendit applicare aliquid satisfactionis omnium suorum bonorum operum omnibus fidelibus, vt patet; proindeque pro certo est receptos ad participium bonorum operum alicuius Religionis, non recipere fructum aliquem satisfactionis ex omnibus Sacrificijs, Orationibus, Ieiunijs & alijs bonis operibus omnium Religiosorum, quòd tamen minus doctè videtur

insinuare Camus: cum igitur certum sit illos participare in omnibus illis bonis operibus, vt etiam apertè docet Iulius secundus in Bullâ quæ incipit: *Aliàs Venerabilem.* Vbi Fundatores, & multos alios reddit participes omnium Missarum, Ieiuniorum, Orationum, & aliorum bonorum operum nostri Ordinis Minimorum; quod participium in illis omnibus cum non sit quoad satisfactionem; necessariò colligi debet Iulium secundum, & cum eo Prælatos regulares reddere alios participes omnium bonorum operum & meritorum Ordinis obiectiuè, vt suprà satis explicatū est. Proindeque non est opus vt Hermodorus iuxtà Cami consilium suam sententiam mutet vt erroneam; sed ipse potius palinodiam canat, si velit manere Catholicus.

SECTIO QVARTA.

An inter Religiosos, & receptos ad consortium bonorum operum fiat mutua Communicatio?

12. *Inter Religiosos, &*

REspondeo affirmatiuè, cum quis enim recipitur ad participium bonorum operum

operum Ordinis, ita participat in aliorum bonis operibus, vt alij etiam in ipsius, communicatio enim mutua est, nam vt inquit Adrianus *quodlib. 8. art. 3. qui incipit participare, incipit communicare.* Vnde rectè Anselmus *lib. 1. Epist. 37.* quæ est ad Frodelinam, sic ait: *Mitto vobis litteras meas per confidentiam mutuæ dilectionis, & quidem Domina charissima ego scio in me nihil, vel minimum aliquid esse quod dignum sit ad augmentum vestræ sanctitatis expectari: quoniam tamen vestris maioribus bonis desidero participare, nescio quâ fronte possim vobis participationem meorum bonorum qualiacumque sint, cum eam desideretis, negare.* Ratio autem huius rei est, quia Communio Sanctorum quæ est inter fideles, assimilatur cõtractui Societatis *1. Ioan. 1. Vt & vos Societatem habeatis nobiscum.* quod etiam docet Palud. *in 4. d. 45. q. 1. art. 1.* cum ait: *Vna est omnium fidelium vniuersalis Ecclesia charitate coniuncta, quæ est Societas, & amicitia spiritualis: vnde sicut quando est contracta Societas omnium bonorum inter aliquos, quicquid vnus lucratur, omnibus est commune: sic & hîc spiritualiter.* Eodem etiam modo reperitur specialis quædam Societas spiritualis in Ordinibus Religiosis, qui subalternum quoddam corpus mysticũ constituunt,

recepti ad communionem bonorum operum est mutua communicatio.

tuunt, inter cuius membra ob illam Societatem omnia suo modo sunt communia, in quam Societatem veniunt etiam illi qui ad consortium bonorum spiritualium recepti sunt, non solùm vt de alijs participent, sed etiam vt de suo communicent. Vnde sicut ait Vlpianus *l. Societas ff. pro socio: Societas potest contrahi, & omnium bonorum, & quorumdam, vel vnius tantum:* ita in Societate spirituali fit quãdoque Communicatio quorundam solùm bonorum spiritualium. sic docet Nauarrus *Miscell. 11. n. 1.* in quibusdam Confratrijs B. Luciæ, & B. Sebastiani fieri solùm Communicationem quorundam bonorum spiritualium ad quæ se ex statutis obligarunt; quod colligitur *ex l. coiri ff. pro socio.* Vbi dicitur in Societate non venire nisi bona expressa. In Societate verò de quâ hic agimus quæ fit per chartas filiationis, fit communicatio & Societas omnium bonorum spiritualium, in illis enim dicitur: Vos ad omnium Sacrificiorum, Orationum, Vigiliarum, Ieiuniorum, reliquorumque bonorum operum quæ in Ordine fient, participationem admittimus. Deinde sicut in contractu Societatis lucrũ omnibus debet esse commune, diuidendum in singulos, secundùm proportionem sortis ab

ipsis

ipsis collatæ: ita in proposito nil lucri spiritualis fit ab aliquo, quin in commune suo modo diuidatur, & omnes de eo participent, idque eò amplius, quò plus per frequentia bona opera in communem Societatem contulerunt. Denique in contractu Societatis non solùm lucrum, sed & damnũ debet esse commune: ita in spirituali hâc Societate Deus non solùm plura alijs confert beneficia ob bona opera singulorum; sed quandoque etiam ob quorundam quĩ sunt de hoc corpore mystico mala opera, alios varijs benedictionibus priuat, & afflictionibus castigat, vt fusiùs *disp. 6. sect. 5. dicetur.*

SECTIO QVINTA.

Quinam effectus per modum impetrationis conferantur per Participationes?

NOta posse aliquem à Deo quippiam impetrare dupliciter, directè, & indirectè, & vtrobique per modum meriti de congruo. impetratio directa requirit inten- 13.

intentionem operantis, cum scilicet quis orationem, aut alia opera bona Deo offert eâ intentione, vt aliquid ab eo impetrare possit sibi vel alijs. indirecta verò impetratio, non requirit intentionem operantis, sed ex natura rei resultare solet, sic enim Deus ob bona opera vnius solet benefacere alijs, licet operans de illis non cogitet. hunc autem fructum quidam vocant obiectiuum, eo quòd ad illum conferendum Deus moueatur à bonis operibus, tanquam ab obiecto, vt dubio præcedenti dictum est. De hoc igitur duplici modo impetrationis est quæstio, vnde

Effectus impetrationis directæ.

Dico primò, qui recepti sunt ad consortium bonorum operum Religionis, recipiunt varios fructus viâ impetrationis directâ, exinde enim redduntur participes omnium orationum, quæ pro tota Religione, & membris eius fiunt, multæ enim singulis diebus fiunt orationes per totum Ordinem in sacrificio Missæ, in Capitulis, & alijs occurrentijs, pro amicis, benefactoribus, & omnibus de Ordine existentibus, in quibus tanquam illius membra participant qui ad bonorum operum consortium recepti sunt. Deinde in dubijs sequentibus dicemus plurima bona opera fieri per totum Ordinem, in quibus illi participant

non

non solùm quoad effectum satisfactionis, sed etiam impetrationis. In his igitur omnibus illi participant quoad effectum directæ impetrationis, non solùm quia si non essent recepti ad consortium bonorum operum, illa omnia non dirigerentur ad ipsos intentione speciali, cum pro solis membris Religionis fiant, proindeque in illis non participarent; sed etiam, quia ob illam vnionem charitatis, orationes, & alia suffragia maiorem vim habent ad impetrandum ipsis aliquid: sicut enim bona opera iustorum citrà aliquam intentionem prosunt ad certos effectus personis coniunctis, vt statim dicemus: ita orationes, & suffragia iustorum speciali intentione applicata personis per charitatem coniunctis, specialem vim habent ipsis aliquid impetrandi, cum sit quædam ratio vnitatis inter illos.

14. *Effectus impetrationis indirecta.*

Dico secundò, recepti ad participationem bonorum operum Religionis, recipiunt etiam varios fructus per impetrationem indirectam oriundos, citrà aliquam intentionem operantis, quos enumerant Paludanus *in 4. d. 45. q. 2. art. 2.* Corduba *l. 1. q 3. §. si quæratur.* Adrianus *quodlib. 8. art. 3. litt. E.* Aragonius *2. 2. q. 85. art. 3. §. quarto est adnertendum.* Illa autem sunt gaudium

dium ſpirituale, dæmonum debilitatio, cordis illuminatio per varias gratias præuenientes, quibus ad conuerſionem, aut virtutum profectum excitantur, præſeruatio à peccatis, & alijs malis ſpiritualibus, & corporalibus, collatio item variorum bonorum ſpiritualium, & temporalium, quæ omnia Deus ob merita iuſtorũ, alijs ſolet liberaliter largiri. de quibus plura ſunt in ſacra Scriptura teſtimonia, *Geneſ. 30.* benedixit Dominus Laban propter Iacob. & *cap. 19.* recordatus Dominus Abrahæ liberauit Loth de incendio Sodomæ. & *cap. 18.* dixit eidem Abrahæ quod parceret quinque ciuitatibus, ſi inuenirentur in illis decem iuſti. ſuper quo Ambroſius *lib. 2. de Abraham cap. 6.* *Admiranda eſt Dei clementia propter paucorum iuſtitiam, impunitatem toti populo promittentis. Vnde diſcimus quantus murus ſit patriæ vir iuſtus; & quod non debemus inuidere Sanctis; illorum enim nos fides ſeruat; illorum iuſtitia ab excidio defendit. Sodoma quoque ſi habuiſſet decem viros iuſtos, potuiſſet non perire.* & *lib. 5. in Lucam ſub initium: Magnus Dominus qui aliorum merito ignoſcit alijs, & dum alios probat, alijs relaxat errata.* Chryſoſt. *hom. 42.* *ſæpè ſolet Dominus propter paucos multis dare ſalutem, & quid dico propter paucos? ſæpè quando*

quando non inuentus est in hác vita iustus, propter defunctorum virtutem, viuentium miseretur, & curam habet; vnde clamat dicens: protegam ciuitatem hanc propter me, & propter Dauid puerum meum. Philo *lib. de sacrif. Abel, & Caïn.* simile quid habet: *Quando*, inquit, *aliquem bonum virum habitantem in domo quapiam, aut vrbe video, & domum, & vrbem illam beatam prædico, ratus tum præsentem fælicitatem ei mansuram perpetuò, tum absentem expectandam cumulatiorem, Deo vltrà modum, mensuramque diuitias suas in gratiam dignorum, etiam in indignos effundere solito.* & paulò post: *Ergo vt viri fortes pro maximo sunt ciuitatibus munimento: sic in humanâ Societate, & Communione hominum, iusti & sapientes viri, firmissimum propugnaculum & præsidium existimari debent.* Plutarchus *in Marco Antonio*, refert Augustum Cæsarem deuicto Marco Antonio, & capta Alexandria, illius internecionem pertimescentibus, iniuriam omnem remisisse, gratiamque donasse, propter vnum Arium vrbis illius Philosophum, quem probum, & sibi familiarissimum nouerat. Eodem igitur modo Deus ob Merita vnius viri Sancti quãdoque integris congregationibus, & ciuitatibus parcit, & benedicit. hinc *Ieremiæ 5.*

Circuite

Circuite vias Ierusalem, & aspicite, & considerate, & quærite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem, & propitius ero ei. super quo Hieronymus ait: *si vnum inuenerit iam iam peritura Ierusalem, qui faciat iudicium, & quærat fidem, Deus miserebitur Ierusalem.* & Ezechielis 22. *quæsiui de eis virum qui interponeret sepem, & staret oppositus contrà me pro terra, ne dissiparem eam, & non inueni.* Numerorum *cap. 16.* cum populus Israël in deserto incendio flagraret, cucurrit Aaron ad mediam populi multitudinem, qui igne consumebatur, & obtulit thymiama, stansque inter mortuos & viuos orauit pro populo, & plaga cessauit. de quo illud Sapientiæ 18. *Sed non diu permansit ira tua, properans enim homo sine querela deprecari pro populo, proferens seruitutis suæ scutum orationem, & per incensum deprecationem allegans, restitit iræ, & finem imposuit necessitati, ostendens quoniam tuus est famulus.* D. Thomas *Opusc. 19. cap. 7.* docet Romam seruatam fuisse per merita S. Alexij: *Vox*, inquit, *cælitus delapsa audientibus Papa, & Imperatoribus Honorio & Arcadio, & vniuerso populo Romano, in Ecclesiâ Beati Petri existentibus, testata est Beati Alexij meritis Romam stare.* In vita Sancto-

Sanctorum Dominici, & Franciſci narratur S. Dominicum in viſione vidiſſe Deum ob peccata hominum irata facie, tribus iaculis mundum confodere minitantem, cuius iuſtæ vindictæ obuiare volens Diua Virgo, ad illius pedes prouoluta miſericordiam pro hominibus deprecata eſt, ei Sanctos Dominicum & Franciſcum oſtendens, qui ſuis, & ſuorum meritis, & Prædicationibus, mundum ad pœnitentiam prouocarent: quorum oblatione placatus Dominus, ad miſericordiam conuerſus eſt. quod confirmat Fridericus Imperator in ſua epiſtola ad Prælatos Ciſtercienſes cõgregatos, quę habetur in Priuilegijs Ordinis pagina 240. vbi ait: *Eſt fides noſtra non vtique parua, quod hîc mundus, qui & immundus eſt, & in maligno poſitus, orationibus veſtris ſuſtentatur, & à facie furoris illius tremendi iudicis, cuius iram peccatis noſtris accendimus, deſenſatur, auertendo ſuam quam meremur indignationem.* Et in vita S. Patris Franciſci de Paula *cap. 3.* dicitur dæmones ſæpius ore poſſeſſorum inclamaſſe, ſe à Deo ob peccata populi poteſtatem accepiſſe, Italiam, & regnum maximè Neapolitanum, bellis, alijſque calamitatibus deuaſtandi, ſolamque S. Franciſci de Paula præſentiam impedire, quo minus

minus id executioni mandare possent, quòd post eius egressum, & in Galliam aduentum se facturos pollicebantur, sicut fecerunt, vt testantur illius temporis historiæ, quæ innumeras illius temporis in prædicto regno calamitates posteritati mandarunt. Si igitur Sanctorum Religiosorum merita, & orationes tanti fiant apud Deum, vt à prouincijs, regnis, & toto mundo, diuinam vltionem auertere possint; multò maioris efficaciæ erunt ad auertenda mala, & impetrandas varias benedictiones temporales æquè ac spirituales ijs, qui speciali charitatis vinculo per litteras filiationis coniuncti sunt.

Aduerte autem quòd licet fructus prædicti non sint infallibiles, nec conferantur ex iustitia, sed tantùm per modum impetrationis, & meriti de congruo; magni tamen sunt faciendi, cum vt rectè Nauarrus *Miscell. 11. de Rosar. num. 3.* plerumque maiora impetrentur per viam liberalitatis, & congruitatis, quam iustitiæ; & adfert exemplum Reginæ, quę vno verbo plus pauperi apud Regem mereri potest via liberalitatis, quam ipse in vinea regia laborans, mereri possit centum dierum labore, via iustitiæ.

¶. Dices, fructus omnes prædictos impetrationis

trationis indirectæ omnibus fidelibus communicantur ob aliorum merita, per generalem Communionem Sanctorum, quæ est in Ecclesia. Ergo non communicantur specialiter quibusdam per litteras filiationis. Respondeo cum Nauarro suprà, generalem Communionem Sanctorum, plurimùm quidem prodesse ad prædictos effectus, multò tamen facilius, & maiori cum abundantia impetrabuntur, si generali Communioni superaddatur specialis hæc Participatio bonorum operum alicuius Religionis. sicut enim preces & merita multorum, facilius, & plura à Deo impetrant, quam vnius: ita specialis hæc Communicatio bonorum operum Religionis, adiuncta Communioni Sanctorum, multò facilius, & plura beneficia impetrare solet; immò specialem virtutem habet, prædictos effectus impetrandi, suprà Communionem Sanctorum, non solùm quia illam præsupponit, sed etiam quia est strictior quædam vnio, & maius vinculum charitatis inter membra eiusdem Ordinis; vbi autem est maior vnio charitatis, ibi merita vnius efficacius prosunt alijs, tanquam speciali ratione illis aliquo modo appropriata. Deinde sæpè Deus impeditur ne conferat prædictos fructus ex generali

Communione Sanctorum, propter varia peccata malorum fidelium: in speciali verò hâc Communicatione Religionum concurrunt ferè omnes boni Religiosi, & ex fidelibus receptis ad participium bonorũ operũ, plures probiores, qui omnes proinde non habent tam multa grauiora peccata, quæ impediant collationem prædictorum fructuum. Et hæc ratio benè notanda est, sæpè enim accidere potest, vt ob solam Communionem Sanctorum effectus prædicti, aut eorum aliqui non conferantur quibusdam fidelibus, qui tamen tribuuntur ob specialem hanc Communicationem in bonis operibus alicuius Religionis.

SECTIO SEXTA.

An effectus prædicti per modum impetrationis minuantur in singulis ob pluralitatem participantium?

16. PAludanus *in 4. d. 45. q. 2. art. 2.* docet fructum impetrationis non minui in singulis, ob pluralitatem eorũ qui recepti sunt ad participium meritorum Ordinis, nec

nec conditionem eorum fieri exinde deteriorem, sic enim ait: *Participium meriti non minuitur ex multiplicatione participantium. & propter hoc sine praeiudicio prius receptorum ad beneficia possunt recipi, nec minus capiunt nouissimi quam primi.* & ex illo Adrianus *quodlib. 8. art. 3.* Richardus *in 4. d. 45.* &c. quidam id probant ex Augustino, qui *lib. quæstionum super Numer. cap. 27.* Vbi Dominus loquens Moysi de Iosuë dicit: *Dabis ei partem gloriæ tuæ*, sic ait: *Quid est quòd cum Deus præciperet Moysi de Iesu Nave, ait inter cætera, & dabis de gloria tua super eum, non ideò eam non habiturus erat Moyses, nec quia dixit de gloria tua, ideo minutum est quod habebat. sic enim accipiendum est ac si diceret, facies eum socium gloriæ tuæ: non autem huiusmodi res quasi particulariter diuisæ minuuntur, sed totæ sunt omnibus, totæ singulis, qui earum habent Societatem.* Ratio eorum est, quia fructus impetrationis fundatur super infinita Dei liberalitate, & misericordia, quæ quia exhauriri non potest, ideò ex pluralitate participantium, non minuitur fructus impetrationis in singulis, & siue plures, siue pauciores participent, æqualis est eorum conditio. Vndè adferunt differentiam inter fructum impetrationis, & satisfactionis, quòd satisfactio-

nis ideò minuatur ex pluralitate participantium, quia satisfactio habet rationem solutionis pœnæ debitæ ex iustitia, proindeque debet esse æqualitas & proportio, inter satisfactionem, & pœnam quæ remittitur, constat autem certos gradus satisfactionis applicatos pluribus, minui in singulis: fructus verò impetrationis, infinita Dei liberalitate mensuratur, nec aliqua ratione limitatur, quo fit vt applicatus pluribus, non minus prosit singulis. Pro resolutione

17. *Fructus impetrationis directæ maior est quo ad plures extenditur.*

Dico primò, fructus impetrationis directæ, eò maior est, quo ad plures extenditur. ita auctores citati, nam vt Adrianus vbi suprà ait: *Gratior est Deo oratio, quantò cæteris paribus pro pluribus funditur, quia opus est Deo acceptius, quantò ardor charitatis fuerit maior, censetur autem esse maior, cum distantius scintillas emittit.* Cum igitur oratio maiori ex charitate fiat, quo ad plures extenditur, & ex quantitate charitatis quâ funditur, mensuretur fructus impetrationis directæ, sequitur magis fructuosam, & Deo gratiorem esse illam orationem, quæ pro pluribus funditur.

An autem inde sequatur fructum impetrationis directæ, vel indirectæ, nõ minui in singulis ob pluralitatem, puto distinctione vtendum

vtendum esse, vt *lib. 1. de fructu Missæ, disp. 3. q. 1. d. 5.* dictum est, vnde

Dico secundò, licet in fructu impetrationis non attendatur æqualitas iustitiæ, vt in satisfactione, sed Dei liberalitas, & viâ liberalitatis quandoque maior effectus tribuatur, quam iustitiæ, vt Nauarrus *Miscell. 11. de Rosar. n. 3.* communiter tamen ipsa Dei liberalitas seruat aliqualem proportionem, inter causam impetratoriam, & effectum; quod indè patet, quia vir sanctus facilius quippiam à Deo impetrat; & peccator non tam facilè exauditur, quam iustus; plurium etiam preces & pœnitentia, facilius Deum flectunt ad misericordiam; nec æquè facilè tribuit rem magnam, ac paruam; idque non aliâ ratione, quàm quia licet Dei misericordia & liberalitas sint infinitæ, in conferendo tamen effectu impetrationis, attendunt aliqualem proportionem inter causam impetrantem, & effectum, cum effectus intuitu causæ conferatur; proindeque idem opus bonum non æquè impetrat rem aliquam à Deo pluribus, ac vni; sed sicut ob pluralitatem participantium minuitur fructus satisfactionis in singulis, ita & impetrationis, licet in impetratione non tam stricta æqualitas attendatur. Vndè sequitur

18. *Inter causam impetrantem & effectum debet esse aliqua proportio.*

Fructus impetrationis aliquo modo minuitur ob pluralitatem.

quòd quò plures recipiuntur ad Participationem bonorum operum Ordinis, sub illo respectu præcisè, minorem fructum communicari singulis. Compensatur tamen illud sufficienter aliundè, primò quia qui incipit participare, incipit etiam de suis bonis operibus & orationibus alijs communicare; & sicut intuitu bonorum operum aliorum recipit varios fructus, ita & alij ob illius bona opera. secundò quò plures ad participium bonorum operum recipiuntur, maior est vnio charitatis, & plura merita inter se copulantur, quæ simul sumpta, multò plura beneficia à Deo impetrare solent.

19. *Sæpè Deus non attendit istam proportionem inter causam & effectum.*

Interim tamen tanta est Dei erga homines misericordia & liberalitas, vt sæpius, & fortè communiter non attendens proportionem istam, inter causam impetratoriam & effectum, sed habito respectu ad solam suam liberalitatem, plurima confert beneficia ob aliorum merita, & indifferenter æquè pluribus, ac paucioribus; hinc Adrianus suprà: *Deus cum sit liberalissimus, & summè misericors, quærit & desiderat nonnunquam rogari, vt habeat occasionem diuitias misericordiæ suæ impertiendi.* Itaut sæpius ob orationes, & merita vnius viri iusti in Ordine degentis, totam Religionem, aliosque

aliosque associatos plurimis benedictionibus afficiat; quin etiam sæpè ob vnum Sanctum, vrbes, prouincias, & regna à varijs malis quæ suis peccatis merentur protegit, & varijs benedictionibus afficit, vt suprà dictum est.

20. *Quo plures sunt iusti in Religione, plura Deus confert beneficia, & contrà.*

Ex his collige quòd in simili docet Corduba *lib. 1. q. 3. §. si quæratur.* & Aragonius *2. 2. q. 85. art. 3. §. quarto est aduert.* quòd quò plures sunt viri Sancti in aliqua Religione, & quò magis viget regularis obseruantia, & plura bona opera in illa fiunt, plura solet Deus conferre beneficia spiritualia æquè ac temporalia, non solùm Ordini, sed & associatis per Participationes, nam plurimorum attendens sanctitatem, & omnium varia merita, illis permotus excitatur ad conferendas plures benedictiones omnibus adunatis in vnitatem corporis Religionis. Et è contrario, quò maiora in Ordine peccata fiunt, & magis regularis obseruantia relaxatur, minores solet Deus largiri benedictiones; quin etiam variæ punitiones, afflictiones, immò & casus Religionum ex iusto Dei iudicio indè oriri solent. sicut enim *Iosuë 7.* ob solius Achan peccatum, Deus populũ Israël corripuit, vt Origenes *hom. 17. in Iosuë: Vno peccante, ira super vniuersum populum venit:*

Ita sæpius Deus conuentus, prouincias, immò & integros Ordines ob quorundam in ijs degentium malam & irreligiosam vitam punire solet; proindeque Religiosorum vitia non ipsis solis, sed toti Religioni maximo sunt nocumento, quod plurimum ponderare deberent Religiosi irreligiosam vitam degentes.

21. Quæres an ad participandum in prædictis fructibus per modum impetrationis, vel directæ ob intentionem, vel indirectæ ob vnionem charitatis, requiratur status gratiæ? Adrianus suprà secutus Paludanum, vult receptos ad participationem bonorum operum Religionis, si sint in peccato, participare quidem in fructu impetrationis directæ per operantis intentionem; non tamen in fructu impetrationis indirectæ ob vnionem charitatis: *Sic*, inquit, *prodest recipi ad beneficia alicuius hominis, vel multitudinis in speciali, quia si peccator est, fit particeps per intentionem; si iustus, vbi prius tantùm participasset ratione vnionis, modò etiam participat ratione intentionis.*

22. *Quilibet, etiam peccator participat in* Melius tamen dicendum est quemlibet receptum ad participationem bonorum operum Ordinis, siue sit in statu gratiæ, siue non, participare in fructibus per modum

modum impetrationis, siue directæ per intentionem, siue indirectæ per vnionem charitatis. & quòd fructus impetrationis directæ prosit non solùm iustis, sed & peccatoribus, patet experientiâ, oramus enim pro conuersione peccatorum, & Deus sæpè ob aliorum preces, gratia sua peccatores præuenit, ijsque varias benedictiones largitur. Quòd verò fructus impetrationis indirectæ ortus ex vnione charitatis, prosit etiam peccatoribus, probatur primò, in hoc differunt excommunicatus & peccator, quòd excommunicatus sit membrum mortuum præcisum à corpore Ecclesiæ, quod proinde non participat in influentijs & bonis totius corporis; peccator verò licet sit vèlut membrum morbidum, manet tamen vnitum corpori, & in bonis illius suo modo participare potest; sicut igitur peccator non desinit suo modo participare in fructu impetrationis indirectæ totius Ecclesiæ ob vnionem charitatis: ita participat etiam in eodem fructu impetrationis alicuius Ordinis, cum receptus est ad participium bonorum operum illius. Probatur secundò, peccator est capax effectuum impetrationis indirectæ ex vnione charitatis, de quibus suprà, & illis indiget, ergo in illis

fructus impetrationis directæ & indirectæ.

in illis etiam participat vnà cum iustis; Non est tamen putandum peccatores æqualem cum iustis fructum impetrationis recipere, quia cum fructus hic ex diuina liberalitate conferatur, maior indispositio subiecti retardat Deum ad illum conferendum; & hoc est quod Adrianus suprà docet, multa posse occurrere, quare magis congruum sit à parte eorum pro quibus oratur, vt eadem oratio æqualiter pro multis fusa, pro vno magis audiatur, quam pro altero.

23. *Differentia fructus satisfactionis & impetrationis.*

Explicato fructu impetrationis orto ex Participationibus, sequitur agendum de fructu satisfactionis; prius tamen explicanda est differentia fructus impetrationis, & satisfactionis, quam tangit Paludanus suprà, Adrianus, & Corduba *de Indulgent. q. 39.* quæ duplex est, prima, quod Participatio per viam satisfactionis requirat specialem aliquam intentionem operantis, itaut satisfactio nunquam applicetur alteri citrà intentionem aliquam: participatio verò per viam impetrationis, non semper requirit specialem intentionem, licet enim impetratio directa requirat, non tamen indirecta, quæ alijs applicatur ob solam vnionem charitatis. Secunda differentia est, quòd participatio in satis-

in satisfactionibus, minuitur ex multitudine participantium, eòquod in satisfactione nostra, quæ finita est, solutio ex rigore iustitiæ attendatur: in impetratione verò cum nitatur infinitæ liberalitati diuinæ, sæpè non attenditur æqualitas & proportio, nec fructus minuitur ob pluralitatem participantium.

SECTIO SEPTIMA.

An recepti ad consortium bonorum operum Religionis participent etiam in quibusdam satisfactionibus?

PAludanus *in 4. d. 45. q. 2. art. 2.* videtur negare per litteras filiationis applicari amicis & benefactoribus aliquem effectũ satisfactionis, sed solùm impetrationis, sic enim ait: *Receptio ad beneficia fit principaliter ad merendum, non ad satisfaciendum, vnde receptus ad beneficia non est immunis à pœnâ sibi iniuncta, nec in toto, nec in parte, propter iciunia quæ fiunt in Ordine, sicut esset per Indulgentias, nec minus diu punietur* 24.

punietur in purgatorio. Et ratio ipsius est, quia per illas litteras fit receptio ad merendum, scilicet de congruo, non ad satisfaciendum. hunc sequitur Adrianus *quodlib. 8. q. 3.* sed si rectè intelligantur non puto esse infrà dicendis contrarios, solùm enim volunt citrà intentionem aliquam, ex solâ vnione charitatis nil satisfactionis illis oriri, sed tantùm varios effectus meriti de congruo, nam idem Paludanus dicit per dictas litteras nil fieri aliud, nisi quòd Deus aliquem propter merita aliorum quandoque præseruat à peccato, & morte. Nam quòd ex solâ vnione charitatis citrà intentionem aliquam actualem aut virtualem, nil alteri satisfactionis applicetur patet, quia mens satisfacientis est, quod omnes satisfactiones sibi soli prosint, quamdiu eas alijs non applicat, ad quod intentio aliqua requiritur. Quòd autem receptis ad participium bonorum operum proueniat aliquid satisfactionis per specialem intentionem patet, & expresè docet D. Thomas *Opusc. 6.* §. *Sanct. Commun.* vbi ait: *Vnus potest satisfacere pro alio, sicut patet in beneficijs, ad quæ plures Congregationes admittunt aliquos.* Quis autem sit ille fructus satisfactorius, & vnde oriatur, explicandum est, vnde

Dico

Dico, receptos ad consortium bonorum operum Religionis, participare in satisfactionibus omnium suffragiorum, & aliorum bonorum operum, quę Rel gioſi faciũt generaliter pro omnibus Fratribus Ordinis, & illis associatis per dictas litteras, docet D. Thomas citatus. Nauarrus *Miſc. 11. de Roſar. n. 9.* Suarez *diſp. 55. de Indulg. ſect. 3.* & patet, quia cum per expreſſam & directam intentionẽ illis omnibus applicetur fructus satisfactorius, in illis eodem modo habet effectum, ac ſi pro aliquo ſpecialiter fieret: multa enim ſacrificia Dei offeruntur pro toto Ordine, multæ orationes & ſuffragia, & alia bona opera, cum intentione applicandi fructum aliquem ſatisfactorium omnibus de Ordine exiſtentibus, & illis aſſociatis. & hoc in omnium ſententiâ verum eſt. 25. *Participationes prosunt quoad satisfactionem.*

Hinc patet receptos ad consortium bonorum operum Religionis, non exiguum fructum ſatisfactionis recipere, cùm enim per hoc fiant membra Religionis, participant vnà cũ fratribus in fructu ſatisfactorio omnium ſacrificiorum, ſuffragiorum, & aliorum bonorum operum, quæ intentione actuali omnibus illius mẽbris applicantur, quę ſunt plurima quotidiè per vniuerſum Ordinem. Sed plus aliquid ſequenti dicendum eſt. 26. ſection.

SEC-

SECTIO OCTAVA.

An fieri possit vt Superiores Ordinum, omnes satisfactiones superabundantes subditorum, quæ reponendæ essent in thesauro Ecclesiæ, applicent iis qui recepti sunt ad consortium bonorum operum Religionis?

27. *Fieri potest quòd Generalis possit alijs applicare satisfactiones superabundantes Ordinis.*

REspondeo id fieri posse, ad quod requiruntur solùm duo, vnum ex parte subditorum, alterum ex parte Prælati: ex parte subditorum requiritur, vt continuò sint talis intentionis, quòd omnes suas satisfactiones, quibus non indigent, nec alteri cum effectu applicuerunt, & reponendæ essent in thesauro Ecclesiæ, relinquant dispositioni sui Prælati, quantum fieri potest, vt ille amicis & benefactoribus, alijsque Ordinis membris applicare possit. Quod autem id fieri possit probatur, quia cum quis opus satis-

satisfactorium facit, ita habet liberam dispositionem fructus satisfactorij illius, vt non solùm sibi, aut alijs eum applicare possit, sed omnem suam potestatem & dispositionem fructus illius satisfactorij in alium transferre potest, in quem cum totum ius operantis translatum est, potest is de illo liberè disponere, & satisfactionem pro libitu alijs applicare, opere adhuc non transacto: satisfactiones enim quibus Deo ob debitum iustitiæ satisfacimus, habent quasi rationem summæ pecuniariæ, quâ vel nostra, vel aliorum debita nos ipsi persoluimus; vel plenam illius dispositionem alteri; ius nostrum illi transferendo, relinquimus. sicut igitur alicui licitum est fructus alicuius satisfactorij dispositionem ita in alium transferre, vt de illo possit disponere, & alteri applicare, ac si ipsius esset: ita quilibet Religiosus potest ita disponere de suis satisfactionibus quibus non indiget, nec alteri cum effectu applicuit, & reponendæ essent in thesauro Ecclesiæ, vt totum ius suum in illas in Prælatum transferat, qui ideò de illis sic disponere possit, & alijs applicare, ac si essent ipsi propriæ. quod semper intellige, modò subditi, & Prælati applicatio fiat ante operis satisfactorij executionem, quia

quia vt dictum est suprà, satisfactio opere transacto egreditur potestatem & dispositionem humanam.

28. Ex parte verò Prælati ad hoc tantùm requiritur, vt vtatur potestate sibi datâ à subditis, super eorum satisfactionibus superabundantibus, quas sicut potest quilibet operans alijs pro voluntate applicare: ita potest Prælatus omnes satisfactiones superabundantes suorum subditorum, cum effectu applicare amicis, & benefactoribus, alijsque Ordinis membris indigentibus.

Dubitari autem potest, qualis intentio & applicatio ad hoc sufficiat? Certum est actualem intentionem sufficere, quæ in quibusdam Religiosis reperitur, qui omnes suas satisfactiones superabundantes, actu relinquunt dispositioni Superiorum, vt illas pro libitu applicent, & amicis distribuant. In illis verò qui non habent intentionem hanc actualem, requiritur & sufficit intentio virtualis, seu interpretatiua, eo modo quo illam explicuimus *l. 1. de fruct. Miss. disp. 1. q. 1. d. 5.* vt fusiùs sectione sequenti dicetur.

SECTIO

SECTIO NONA.

An de facto satisfactiones superabundantes subditorum quæ rediirent in thesaurum Ecclesiæ, à Superioribus applicentur per Participationes, iis qui recepti sunt ad consortium bonorum operum Religionis?

REspondeo, & dico, valdè probabile esse, satisfactiones superfluas, quæ reponendæ essent in thesauro Ecclesiæ, applicari à Prælatis per Participationes, iis qui recepti sunt ad consortium bonorum operum Ordinis. Et ne sententia hæc noua quibusdam videatur, vnà cũ Doctoribus, eorum verba referam. Ita igitur docet Nauarrus *Miscell 11. de Rosar. n. 9.* his verbis: *Potest Prælatus merita suæ Congregationis aliis applicare quoad eam partem, quâ ipsi non indigent, & quæ reponenda esset in thesauro Ecclesiæ, si Prælatus eam non communicaret*

29. *Probabile est satisfactiones superfluas applicari receptis ad participationem bonorum operum.*

nicaret alijs. & infrà: *Arbitror autem communicationem præfatam quoad valorem satisfaciendi de condigno, non extendi ad illum valorem, quo eget is, qui facit illa, sed tantùm ad illum qui reponendus esset in Ecclesiæ thesauro, si alij non communicaretur.* Corduba *de Indulg. q. 39. Prælatus non potest applicare*, scilicet per Participationes, *nisi ea quæ cederent in thesaurum suæ communitatis, si non applicarentur, aut bona communia suæ congregationis; sed non cedunt in thesaurum, vel bonum commune congregationis, nisi ea quæ supersunt facienti.* & paulò post: *Prælatus habet potestatem plenariam in bonis spiritualibus superabundantibus communicabilibus.* & ibidem: *Si Prælatus inuito suo subdito applicaret aliquibus aliqua bona satisfactoria superabundantia, quæ subditus facit, valeret talis applicatio superioris, & non posset subditus talis ea applicare alteri contrà applicationem superioris, quia quoad talia superabundantia, quæ possunt fieri communia congregationis, Prælatus superior habet potestatem suprà subditum ad communicandum ea.* Et pro se citat D. Thomam. De Valentia *in Controuersijs lib. de Indulg. c. 5.* Postquam enim retulit sententiam Soti dicentis Prælatos posse ex graui causa applicare alijs satisfactiones subdi-

subditorum quibus indigent, addit: *Communiter tamen eas solùm satisfactiones, quæ subditis supersunt, per Superiores Ordinum, alijs communicari existimandum est.* Rodericus. *tom. 1. q. 33. art. 4.* ijsdem verbis vtitur, quibus Corduba suprà. Nugnus *in supplem. q. 26. art. 1. Prælati Religionum possunt satisfactiones suorum subditorum superabundantes, alijs applicare.* Peirinis *in Relig. Prælato q. 3. c. 6.* dicit Prælatos super bonis superabundantibus subditorum, vel nemini applicatis, habere plenariam potestatem. Idem docet auctor Hermodori contra Camum *lib. 1. tit. de litteris fiiationis.* Dicit enim satisfactiones superfluas, quæ redirent in thesaurum Ecclesiæ, si nulli applicarentur, rectè applicari ijs qui recepti sunt ad consortium bonorum operum. & ipsemet Camus *responsione ad Hermodor. & in suo Directore,* sæpius id insinuat, & docet, vnà cum multis alijs, licet omnes ijsdem principijs non nitantur, nam in Cordubæ, & quorundam aliorum fundamento, qui volunt Prælatum habere plenariam potestatem super satisfactionibus superabundantibus subditorum, non est difficile conclusionem probare; in nostra verò sententia, vt *quæst. 5.* dictum est, nullæ subditorum satisfactiones alijs applicantur, sine

eorum actuali, aut virtuali intentione & applicatione. Pro probatione igitur,

10. *Fideles satisfactiones superfluas, intentione virtuali reponunt in thesauro,*

Nota quod cõmuniter docent Doctores, satisfactiones superabundantes nemini applicatas, ideò reponi in thesauro Ecclesiæ, quia quisque fidelis habet intentionem, quam Corduba *de Indulg. quæst. 3.* cum alijs vocat virtualem, vt omnes suæ satisfactiones superabundantes, & quæ effectum non habuerunt, prosint alijs, eo modo quo legitimè fieri potest, iuxtà modum à Christo præscriptum. Deinde Scotus *quodlib. 20. art. 1.* & Adrianus *quodlib. 8. art. 3.* docent fideles intentione habituali, quam alij vocant virtualem, aut interpretatiuam, applicare alijs fructum generalissimum suorum bonorum operum communium, quam intentionem volunt in hoc consistere, quòd fideles suscipiendo baptismum, & incorporando se Ecclesiæ, censentur suscipere obligationes ab Ecclesia iunctas, inter quas sunt, vt sacrificia, & orationes communes, vt horæ Canonicæ, &c. fiant pro tota Ecclesiæ cum igitur omnes fideles sint in ea voluntate, vt velint se in illis, sicut & alijs, conformare ordinationi, & intentioni Ecclesiæ, dicuntur intentione interpretatiua, virtuali, aut habituali id velle, hoc posito

Probatur

Probatur conclusio, Prælati concedentes alijs litteras filiationis, intendunt eos reddere participes omnium bonorum spiritualium, quantùm in ipsis est, & fieri potest, vt docet Corduba *de Indulg. q. 59. Prælati*, inquit, *& alij applicantes alijs bona sua, vel suæ communitatis, intendunt regulariter applicare quantùm commodè possunt, vt valeant eis quantùm vale possunt; sine suo, aut suæ communitatis detrimento:* Cum igitur intendant alijs applicare omnem fructum possibilem, quantùm possunt; & quantùm est ex Prælatorum potestate, satisfactiones subditorum superfluæ possint esse in libera eorum dispositione, si subditi eis transferant, & relinquant eam potestatem, vt faciunt; sequitur Prælatos satisfactiones superabundantes quæ redirent in thesaurum Ecclesiæ, benefactoribus per litteras Participationum applicare. Quod verò subditi relinquant Prælatis potestatem distribuēdi satisfactiones suas superfluas benefactoribus, probatur, quia cum sit mos Religionum, alios reddendi participes bonorum operū Ordinis quantùm fieri potest, ad hoc videntur indigere Prælati bonis operibus subditorum, & intendere vt subditi satisfactiones suas saltem superfluas, eorum dispositioni relin-

31. *Prælati per Participationes applicant fructus Religionis quantùm possunt.*

quant; & subditi incorporando se Religioni per professionem, virtualiter, aut interpretatiuè intendunt se conformare voluntati, & intentioni Prælatorum, relinquendo eis liberam dispositionem satisfactionum superfluarum, eo modo quo dictum est fideles eâdem intentione applicare omnibus fidelibus fructum generalissimum bonorum operum communium, ob talem voluntatem, & intentionem Ecclesiæ, cui se conformare censentur in baptismo; proindeque subditi censentur continuò esse in ea voluntate, vt sibi reseruent suas satisfactiones necessarias, & quandoque alijs actu applicent; quoad superfluas verò, & nulli applicatas, relinquunt dispositioni Prælatorum, & omne ius suum in eos transferunt.

32. *Consulitur intentio actualis in Prælatis & subditis quoad satisfactiones superfluas.*

Licet autem intentio hæc virtualis, aut interpretatiua, videatur in rigore sufficere, melius tamen, & certius fieret ea applicatio, si subditi quandoque actu renouarent eam intentionem generalem relinquendi Prælatis liberam dispositionem suarum satisfactionum superabundantium; & si Prælati actu etiam per chartas Participationum, intenderent vnà cum alijs fructibus, applicare alijs satisfactiones superfluas futuras suæ congregationis; & hoc certè

Prælatis

Prælatis & subditis consulendum esset, sic enim absque vlla dubitatione, satisfactiones illæ superfluæ, receptis ad participationem bonorum operum prodessent, quo non modicum emolumentum eis proueniret. Et hanc doctrinam fortè intendit Palatius *in 4. d. 20. disp. 3.* cum ait: *Si litteræ Participationum conferant satisfactiones, erit ex Papæ auctoritate, vel ex tacito, aut expresso consensu Monachorum.*

33. *Obiectio Cami, & eius refutatio.*

Camus *responsione ad Hermodorum tit. de confrat. §. 18. 19.* Putat esse præsumptionis dicere Prælatos regulares applicare satisfactiones superfluas Ordinis, & dicit regulares per hoc sibi arrogare ius & auctoritatem summi Pontificis, cuius solùm est dispensare thesaurum Ecclesiæ; deinde risoriè sollicitus quærit, quænam satisfactiones regularium reponendæ sint in thesauro Ecclesiæ, si omnes superabundantes per præuentionem alijs communicentur. Pro responsione, nota per Indulgentias dispensari quidem satisfactiones superabundantes Sanctorum, vnà cum Christi satisfactionibus, sed non ob indigentiam aliquam; cum enim satisfactiones Christi sint actu infinitæ, thesaurus Ecclesiæ nunquam exhauriri posset, licet illis solis constaret; deinde in remissione pœnæ quæ fit

per Sacramenta, applicantur solæ satisfactiones Christi, non Sanctorum, & idem fieri posset in Indulgentijs; quòd igitur Sanctorum satisfactiones, cum Christi satisfactionibus per Indulgentias distribuantur, inter alias rationes est, ne satisfactiones Sanctorum superabundantes maneant inutiles, & sine effectu, cum enim Christus dixerit *Luc. 12. Capillus de capite vestro non peribit*, non est æquum vt diuina prouidentia satisfactiones illas relinquat inutiles, & sine effectu, ideoque vnà cũ Christi satisfactionibus fidelibus distribuuntur; cũ igitur ratio præcipua huius rei sit, nec satisfactiones illæ maneant inutiles, videtur intentionis Christi, & Ecclesiæ esse, vt fideles quantùm fieri potest, omnes suas satisfactiones sibi, vel alijs actu applicent, & nullas relinquant superfluas, & inapplicatas, cum solùm in defectum applicationis priuatorum fidelium, applicentur ab Ecclesiâ per Indulgentias; proindeque nullam faciunt iniuriam thesauro, qui quantum fieri potest studet, vt omnes suæ satisfactiones sortiantur effectum, & nullæ redeant in thesaurum; sic enim multò plus prosunt fidelibus; si enim satisfactiones superfluæ applicantur per Indulgentias, vt fideles assimilentur Christo capiti, & sint

coadiutores

coadiutores illius, vt ait Corduba *de Indulg. q.3.* multò perfectius id fiet, si ipsimet dum opera satisfactoria faciunt, omnes suas satisfactiones sibi, vel alijs cum effectu applicent. Vndè meritò, & fructuosè consulendum est fidelibus, vt in applicatione suarum satisfactionum, plures semper intentiones habeant, quibus eas applicent sibi vel alteri particulari, qui si non indigeat, aut non sit capax, vlteriori applicatione distribuantur alijs viuentibus, aut animabus purgatorij, in quibus semper effectum sortientur: sic enim non solùm opus est maioris charitatis, sed alios etiam maiori cum effectu iuuabunt, nec thesauro iniuriam aliquam irrogabunt, licét tota vita nullæ satisfactiones maneant inapplicatæ, quòd vtinam quisque fidelis seriò practicaret. Hoc igitur faciunt Prælati cum suis Religiosis, cum satisfactiones superfluas Ordinis, ijs qui recepti sunt ad participium bonorum operum applicant, alijsque de Ordine existentibus, sic enim impediunt, saltem ex parte, ne multæ satisfactiones maneant actu inapplicatæ, & multò maiori cum effectu prosunt proximis, quòd est opus magnæ charitatis. Deinde nullus negare potest, duos fideles tale pactum inire posse, vt quoties aliqua

eorum

eorum satisfactio effectum non sortietur, & manebit inapplicata, ad alterum transferatur, quòd certè valdè laudabile esset: simile quid igitur in nostro proposito reperitur. Hoc igitur posito, ad primam rationem Cami respondeo, non esse præsumptionis, sed veræ charitatis, quòd Prælati, & Religiosi satisfactiones suas superfluas alijs modo prædicto applicent; sicut non est præsumptionis quod quisque habeat virtualem intentionem vt suæ satisfactiones superfluæ repositæ in thesauro, applicentur alijs per Indulgentias, nec per hoc Prælati sibi arrogant auctoritatem Pontificiam, quia id non fit per dispensationem thesauri, quem dispensandum non habere Prælatos regulares dictum est *q. 3. sect. 2.* sed præuentione ea in re vtuntur, satisfactiones futuras (non præteritas, quæ sunt in thesauro) alijs applicando. Ad hoc verò quòd quærit, quidnam suarum satisfactionum reposituri sint regulares in thesauro, patet responsio ex dictis, & vellem ipsemet Camus dicta præuentione vteretur, & subditis suaderet, vt nullæ eorum satisfactiones manerent inapplicatæ; Interim tamen hoc non obstante putandum est plures adhuc Religiosorum satisfactiones reponi in thesauro Ecclesiæ,

quia

quia in singulis Religionibus sunt multi viri probi, qui inter varias austeritates, & obseruantias regulares plurimùm satisfaciunt, & leuioribus solùm culpis subiecti, minus habent pro se soluendum, & sæpius alijs sine effectu satisfactiones suas applicant, sicque plures superabundant; quoad participantes verò in illis superabundantibus, sunt communiter personæ probæ quæ vltrà Religiosos recipiuntur ad consortium bonorum operum, quæ non multùm habent pro se satisfaciendum, & sibi fortè sufficiunt; deinde cum quis in dictis satisfactionibus participans est in mortali, est incapax participationis. Denique variæ sunt Indulgentiæ sæpius plenariæ quibus Religiosis, & alijs associatis remittuntur pœnæ in integrum, sicque sæpe non indigent dictis satisfactionibus superabundantibus, vndè plures adhuc satisfactiones Religiosorum in Ecclesiæ thesauro reponentur.

QVÆSTIO

QVÆSTIO SEPTIMA.

De Personis quæ gaudent fructu Participationum.

SECTIO PRIMA.

Quinam Participant in bonis operibus Religionum?

1. *Apud Benedictinos parentes Religiosorum participant in bonis operibus.*

IN Constitutionibus Benedictinis *cap. vlt. constit. vltim.* parentes Religiosorum redduntur participes bonorum operum Religionis his verbis: *Charitatis autem affectum ergà Fratres nostræ Congregationis exercere volentes, vniuersos parentes, fratres, & sorores Fratrum nostrorum præsentium & futurorum, ad Participationem omnium bonorum, quæ in nostra fiunt, & fient Congregatione, sicut fit illis quibus litteræ gratiosæ concedduntur admittimus.* In secunda parte statutorum Carthusianorum *cap. 22. §. 49.* pluribus fit communicatio bonorum operum

Apud Carthusianos varij alij.

operum Religionis his verbis: *Omnium spiritualium bonorum Ordinis illi participes annuntiantur, qui ad Capitulum*, scilicet generale, *accesserunt, quive Prioribus in itinere hospitalitatem, seu humanitate quauis alia officium exhibuere charitatis; omnesque alij viui & defuncti, qui per litteras, per nuntios, vel per seipsos orationibus se commendauerint Ordinis, aut Priorum.*

2. *Apud Minimos Tertiary.*

Quoad nostrum Minimorum Ordinem, vltrà Fratres, & Sorores Ordinis, in omnibus bonis spiritualibus totius Religionis Communicant, primò omnes Tertiarij vtriusque sexus, eoquòd per suę Regulæ professionem, fiant de corpore ipsius Ordinis, de cuius bonis proinde tanquam illius membra participant; deinde per varias Bullas Pontificias declarantur gaudere omnibus gratijs & priuilegijs, quibus Fratres & Sorores Ordinis. Et hęc est ratio cur S. P. Franciscus de Paula in quadam charta filiationis data anno 1503. quam retulimus *quæst. 1. sect. 6.* reddit quosdam amicos participes bonorum spiritualium non solùm Fratrum, & Sororum, sed etiam Tertiariorum his verbis: *Conferendo quæ per Fratres mihi subditos, Commissos, Oblatos, nec non Fratres & Sorores de pœnitentia fieri dederit autior omnium bonorum*

bonorum Dei filius, &c. Idque sub eo titulo, quia cum tanquam membra Religionis participent in bonis illius, communicant etiam de suo, eoquòd incipientes Participare, incipiant etiam Communicare, vt suprà dictum est.

3. Deinde Iulius II. in Bulla relata loco citato, concedit participationem omnium bonorum operum totius Ordinis varijs personis, his verbis: *Quod dicti Ordinis*, Minimorum, *domorum Fundatores, Fundatrices, Procuratores & Procuratrices, Tutores & Tutrices, eorumque vtriusque sexus liberi, necnon dicti Ordinis Conseruatores præsentes & futuri, omnium & singularum Missarum, ieiuniorum, orationum, & sacrificiorum, ac quorumcumque aliorum bonorum, & in toto huiusmodi Ordine Minimorum de cætero faciendorum, & recitandorum, Participes fore, & illi Communicata sint, & esse debeant.* Omnes autem prædicti absque alia declaratione Prælatorũ sunt ipso facto participes bonorum operum Ordinis auctoritate & declaratione Pontificia.

Item Fundatores, Procuratores, &c.

Denique omnes illi sunt Participes suffragiorum, & aliorum bonorum Religionum, qui à Prælatis per chartas filiationum, tales declarati sunt.

4. Non est hic prætereundum quòd eligentes

gentes sepulturam in Ecclesijs nostris, sicut & aliorum mendicantium, & gaudentium eorum priuilegijs, suprà id quòd lucrantur omnes Indulgentias quas Fratres Ordinis, fiunt etiam Participes omnium suffragiorum pro tempore faciendorum in dicto monasterio in quo sepulturam elegerint, idque ex concessione Leonis X. & Adriani VI. vt refert Casarub. *In compend. verbo. communicatio priuilegiorum* §. 39. *& verbo, sepelitio.* §. 22. & vltrà hoc possunt Fratres illius Conuentus eas animas liberare per Missam priuilegiatam, ex Bulla Clementis VIII. data PP. Discalceatis an. 1596. quam refert Peirinis *in Clemente VIII. Const.* 4.

SECTIO SECVNDA.

An Participationes prosint etiam post mortem, existentibus in purgatorio?

1. Participationes prosunt defunctis.

NOn est dubium quin nõ solùm in vita, sed & post mortẽ prosint Litteræ Participationum, quando id expressè declaratur,

Vis cum exprimitur.

claratur, sicut vidi fieri in quibusdam Participationibus Carthusianorum, vbi sic habetur: *Tenore præsentium vobis concedimus in vita pariter, & post mortem plenam totius Ordinis nostri Confraternitatem, & Participationem. & in 2. parte statut* eiusdem Ordinis *cap. 22. §. 45.* dicitur: *Omnium spiritualium bonorum Ordinis illi Participes annuntiantur, qui, &c. omnesque alij vivi, & defuncti qui per litteras, &c. Orationibus se commendauerint Ordini.* Idem expressè declarat S.P. Franciscus de Paula in tertia littera Participationum *quæst. 1. sect. 6.* citata his verbis: *Quemlibet vestrum ad Confraternitatem nostram recipio, in vita pariter & in morte, plenam & specialem Participationem omnium charismatum, & operum Meritoriorum, &c. gratiosè conferendo.*

6. Etiam cum non exprimitur.

Difficultas autem est, an litteræ Participationum prosint etiam post mortem existentibus in purgatorio, quando id non exprimitur. Et dicendum est quòd sic, ratio est, 1. quia id colligi potest non solùm ex eo quòd plures litteræ id apertè exprimant, vt dictum est, quæ aliarum id non exprimentium indeterminationem satis modificant & determinant; sed etiam quia in multis alijs litteris fit communicatio bonorum operum Religionis in perpetuum,

petuum, quòd proinde etiam extenditur post mortem: sic in 2. epistola filiationis S. P. Francisci de Paula, vbi suprà citata habetur: *In omnibus mysterijs diuinis, Orationibus, & Missis, ieiunijs ac vigilijs, cæterisque quibuscunque suffragijs, & bonis per Ordinem vniuersum à cunctis Fratribus nostris in perpetuum Dei opitulatione fiendis, &c.* Et in forma ordinaria quam initio libri posuimus dicitur: *Vobis damus plenam Communionem omnium Missarum, &c. quæ per Fratres vbique & perpetuò fieri dederit Christus Dominus.*

Secunda ratio est, quia per litteras filiationum communicantur bona spiritualia Ordinis inquantùm fieri potest, & quantùm eis quibus applicantur prodesse possunt: sed effectus dictarum litterarum non solùm prodesse possunt viuis, sed etiam, & maiori cum indigentia, & necessitate, eosdem iam defunctos, & in purgatorio cruciatos iuuare possunt; proindeque non est cur ad defunctos non extendantur, præcipuè cum fructus illi applicari possint defunctis, eo modo, quo ex communi sententia & praxi, suffragia viuorum applicantur, & prosunt animabus purgatorij. Et hoc indicare videtur Nauarrus *de Rosar. Miscell. 11. num. 10.* 7.

Hinc collige quam vtiles sint post 8.

mortem dictæ litteræ Participationum iis qui in vita ad consortium bonorum operum alicuius Religionis recepti sunt, nam primò animæ illæ ex sola radice charitatis qua cum ipsa Religione in vita vnitæ sunt, recipiunt consolationem aliquam spiritualem, & gaudium accidentale, sicut & pium aliquem motum, quibus vtcumque recreantur; & licet exinde pœnæ purgatorij non minuantur, plurimùm tamen alleuiantur, & tolerabiliores vt ita dicam redduntur per contrariam subiecti dispositionem & corroborationem, vt *lib. 3. de fructu suffragiorum, quæst. 1. dub. 1.* dictum est. secúdò virtute dictarum litterarum illis animabus remittitur plurimùm satisfactionis debitæ, ob varia suffragia & bona opera communia congregationis, quæ quoad effectum satisfactorium omnibus illius membris viuis & defunctis applicantur, idque ipsis defunctis certò & infallibiliter, cum ob statum gratiæ certùm sit eas nullum obicem ponere. Denique quod caput est, sunt plurimæ aliæ satisfactiones plurimorum totius Ordinis superabundantes, quæ vt *quæst. 6. sect. 9.* alijs de corpore Ordinis indigentibus dictum est applicari: illis igitur satisfactionibus superabundantibus plurimùm iuuantur

iuuantur animæ illæ aliquandò ad consortium bonorum operum Ordinis receptæ, tum quia illis plurimùm indigent, & rationabiliter putatur intentionis Prælatorum & subditorum esse, vt magis indigentibus, abundantius applicentur; tum etiam quia licet alij de corpore Religionis satisfactionibus indigentes, in ijs participent, cum non ponunt obicem peccati mortalis, ab eo tamen non sunt semper immunes: dictæ verò animę cum certò sint in gratiâ, nunquam à dictâ participatione excludũtur. His adde plurimos semper esse viros iustos & pios in Religionibus, qui à peccatis, etiam leuioribus abstinentes, & varias semper mortificationes, & opera satisfactoria exercentes, pluribus abundant satisfactionibus, quæ proinde illis animabus purgatorij ob dictam associationem per litteras Participationum plurimùm prosunt, & liberationem à pœnis accelerant. Quæ indubiè magnam dictarum Participationum æstimationem hominum animis ingenerare debent, vltrà varios & vberrimos fructus quos ijsdem in vitâ prouenire dictum est.

QVÆSTIO OCTAVA.

Contrà impugnantes Participationes.

AB annis circiter ducentis contrà communicationem bonorum operum, quæ fit in Religionibus aperto morte insurrexit Wiclephus, eamque vt falsam, & simoniacam reprobauit, sed in Concilio Constantiensi anathemate damnatus est; & Thomas Waldensis *tom. 3. de Sacramental. tit. 10.* cum acriter expugnauit.

Exstat nunc alius Religiosarum Participationum hostis, nempe Auctor responsorij ad Hermodorum, qui tamen non in ipsas directè Participationes, sed in earum abusus se insurgere dicit, quod modò examinandum est.

SECTIO

SECTIO PRIMA.

An Auctor responsorij ad Hermodorum solos abusus Participationum reprehendat?

SI quis ex bono in Deum, & proximum zelo, errores & abusus in quibusdam rebus irrepentes, reprehendere & emendare satagat, rem in se piam & fructuosam operatur; sed si sub eo prætextu, opus in se bonum, & ab Ecclesia receptum & approbatum, è medio tollere conatur, impium se esse demonstrat, & sub ouina pelle, lupum agit. talis fuit Lutherus, qui prima fronte non audebat apertè in Indulgentias insurgere, sed solos earum abusus se reprehendere asserebat, donec tandem visus est aperto marte; & thesaurum Ecclesiæ, & summi Pontificis in eum potestatem irridere & damnare. Cum igitur Auctor dicti responsorij, se solos Participationum abusus reprehendere asserat, videndum nobis est, an id reuerà faciat. 1.

Responſ. ad Hermod. tit. de Confrat. § 28.

2. *Quod reſtè fiat enumeratio bonorum ſpiritualium in litteris filiationis.*

dicit regulares in litteris Participationum magnam ſeriem bonorum operum texere, ſcilicet ſacrificiorum, orationum, ieiuniorum, &c. non ad Dei gloriam, ſed ex vanitate, & phariſaïca iactantia, vt maiori in honore & æſtimatione ab hominibus habeantur, eosque aſſimilat phariſæo qui dicebat, ieiunio bis in Sabbato. Quæ verba ſanè non abuſum, ſed pium Participationum vſum è medio tollunt, & vanitatis condemnant, quaſi phariſaïcam iactantiam redoleret. Pro quo ſciendum eſt, hanc enumerationem bonorum operum, fundamentum habere in S. Scriptura, nam Iſayas *cap. 53.* enumerat omnia bona nobis à Chriſto communicata, ſcilicet vulnera, liuores, ſilentium, percuſſuras & alapas, orationes, languores & dolores noſtros ab eo portatos, & peccata ſublata. & hæc bonorum enumeratio per Iſayam quaſi in litteris exarata, initium noſtris Participationibus dedit, vt *q. 1. ſect. 2.* dictum eſt. Hæc omnia enumerat etiam Bernardus *Serm. 4. hebd. pœn.* nempe paſſiones, labores, fatigationes, tentationes vigilias, lachrymas, dolores, conuitia, ſputa, colaphos, ſubſannationes, exprobrationes, clauos, & alia quæ Chriſtus auctor Participa-

tionum

tionum nobis communicauit. Hanc igitur normam sequentes Prælati regulares, ad Isayæ seu Christi per eum imitationem, in Participationibus semper enumerarunt bona opera in quibus fit communicatio, in quo proinde non pharisaïcam iactantiam, sed Christi charitatem imitantur. Deinde Iulius I I. in Bulla citata *q. 1. sect. 6.* illa eadem bona opera enumerat, dum Ordinis nostri Minimorum Fundatores, & Procuratores omnium Missarum, ieiuniorum, orationum, sacrificiorum, ac quorumcumque aliorum bonorum participes reddit. Cum igitur summus Pontifex seriem bonorum operum texuerit, in quibus vult Fundatores Ordinum participare; si eius vestigijs inhærentes Prælati regulares in suis litteris eadem bona opera enumerent, Pontificiam normam, non pharisaïcam vanitatem & iactantiam imitantur. Quid dicet de S. P. Francisco de Paula, quo nil humilius, & à vanitate & iactantia magis alienum, hic tamen in litteris *q. 1. sect. 6.* relatis, reddit amicos participes omnium charismatum, & operum meritoriorum, videlicet Missarum, orationum, diuinorum officiorum, prædicationum, ieiuniorum, disciplinarum, exterorumque bonorum spiritualium.

Denique talis fuit semper vsus in omnibus Religionibus, ad maiorem rei explicationem, & intelligentiam, enumerandi nonnulla bona opera in litteris participationum, vt melius percipiant amici, quorum bonorum redditi sint participes. Damnare autem ea in re siniſtræ intentionis, vanitatis, & iactantiæ pharisaicæ omnes regulares ab initio, in quibus fuere tam multi viri sancti, probi, & nil nisi humilitatem sapientes, certè non est solos abusus è medio tollere.

3. *Communicatio bonorum spiritualium per litteras non est contrà doctrinam Ecclesiæ, nec S. Sedis, auctoritatem.*

Deinde §. 23. postquam regulares superbiæ arguit, doctrinam Ecclesiæ, & sanctæ Sedis potestatem subuerti asserit per hoc quòd regulares sine summi Pontificis auctoritate, per litteras filiationum, communicant laicis partem omnium orationum, disciplinarum, & ieiuniorum Ordinis. Quoad hoc primò, Prælati regulares litteras filiationum ex summi Pontificis concessione amicis semper concesserunt, quod in Ordinis nostri litteris exprimitur his verbis: *Dei Opt. Max. benignitate S. P. nostri Francisci de Paula intercessione, summorumque Pontificum concessione freti, &c.* Et Iulius II. normam Prælatis dedit in Bulla citata. Secundò non est necessaria hac in re summorum Pontificum licentia

licentia & auctoritas, cum per dictas litteras nullæ distribuantur Indulgentiæ, pro quibus sedis Apostolicæ auctoritas esset necessaria, sed fiat solùm communicatio in bonis operibus, & satisfactionibus futuris, quorum plenam administrationem habere Prælatos dictum est suprà. Deinde communicare alijs bona opera subditorum, competit Prælatis de iure communi, vt patet ex supradictis, ideoque ad id non opus est auctoritate Pontificia. Tertiò, per litteras filiationum sedis Apostolicæ potestas non euertitur, cùm thesaurum Indulgentiarum non attingant, & si quæ satisfactiones per eas communicentur, per præuentionem, & priusquam potestatem humanam egrediantur, alijs applicantur. Multò minus autè per id Ecclesiæ doctrina destruitur, cum econtrà plurimùm stabiliatur nonus Symboli Apostolici articulus, *Credo Communionem Sanctorum*, in quo communicatio bonorum operum Religionum tanquam species in genere continetur, & conformiter ad sensum communem Ecclesiæ in dicta Communione Sanctorum explicatur.

Et §. *19.* dicit regulares falsissimè laicis imponere, quòd conformiter ad sensum Scripturæ, & Patrum, per litteras filiationum 4. *Amici per litteras verè participa-*

pant in bonis operibus Ordinis.

num reddantur participes mortificationum Ordinis, sine proprij corporis afflictione; & ieiuniorum, absque rigoris abstinentiæ experientia. Quòd igitur id ex Scriptura, & Patribus, non mendaciter, vt inquit, sed verè colligatur, satis dictum est *quæst. 1.* vbi per plures sectiones ex S. Scriptura, & Patribus plurimis, antiquitatem, & efficaciam Participationum ostendimus. Qualiter autem quis sine corporis castigatione, in aliorum mortificationibus, & ieiunijs participare possit, optimè ostendit Chrysostomus *Serm. 1. in cap. 1. Epist. ad Philip.* vbi ait: *Non potes ieiunium ferre? Non solitudinem? Non humi cubare? Non integras noctes vigilare? Licet tibi harum omnium rerum mercedem accipere, si aliaquadam ratione rem tuam gesseris: nempe si cum qui istos labores capit, cures, recrees, foueasque assiduè.* Quis igitur in prædictis verbis falsitatis arguet Chrysostomum? quis dicere audebit Iulium II. in Bulla citata Fundatoribus imponere, eosque falsò omnium bonorum operum Ordinis nostri participes efficere? mentitur ergò Anselmus, alijque plurimi Patres *q. 1. sect. 4.* relati, qui alijs suorum bonorum operum communicationem fecerunt. Quòd autem hîc negat, alibi sæpè irridet, sed per hoc,

non

non tàm risu, quàm compassione dignum se reddit; nam qui communicationem bonorum operum quæ fit à Prælatis regularibus negat, aut ridet Communionem Sanctorum quæ est Ecclesiæ basis & fundamentum è medio tollit, cum vna in altera velut species in suo genere contineatur.

Et §. 22 & alibi sæpè hanc propositionem vt hæreticam damnat, quòd regulares per litteras filiationum, communicent alijs merita Ordinis; sed quo sensu id intelligi debeat, & qualiter sine periculo erroris negari non possit, satis dictum est *q. 6. sect. 3.* 5.

Denique vt multa alia omittam, idem auctor vocat litteras Participationum, industriosam pietatem, & ingeniosam deuotionem. reminisci debebat voces illas dedecere Catholicum, & ab hæreticorum conuitijs non longè distare; Wiclephus enim in Concilio Constantiensi damnatus, easdem litteras Participationum, Religiosorum commentum nominabat, vt Thomas Waldensis *l. de Sacramental. tit. 10.* & Lutherus in Concilio Tridentino item damnatus Indulgentias, (quibus affines sunt Participationes) pias fraudes appellabat, per quos populus 6.

gratis

gratis ad pietatem prouocaretur.

7. Ex his igitur patet dictum auctorem, dum in litteras filiationum Religioſorum inuehitur, non ſolos abuſus, ſed rei veritatem oppugnare, easq; è medio tollere velle; cui incommodo obuiare volentes illi quorum curæ eſt, libros illius expreſſo vel tacito nomine qui de his, & ſimilibus rebus agunt, vt Eccleſiæ pernicioſos iure meritò prohibuerunt & damnarunt.

8. Verùm dicet fortaſſe ſe ideò abuſus Participationum reprehendere, eòquod ad turpe lucrum, & queſtum dictis litteris regulares vti videantur; ſed id ſectione ſequenti ſoluetur.

SECTIO SECVNDA.

Quòd æquum ſit Regulares per Litteras ſpiritualia bona communicare, ijs qui temporalia illis largiuntur.

WIclephus *l. 4. trial. c. 30.* inuehitur in regulares, eòquod litteras filiationis ſolùm dent ijs, à quibus ſperant tempo-

temporalia: *Patet*, inquit, *eorum simoniaca hæresis manifestè, cum non dent tales litteras, nisi sub spe, & intentione probabili, quòd eis lucrum temporalium, & considerationem illicitam reportabunt: quomodo ergo non sunt hæretici simoniaci in affectu?* Et supradictus auctor hac in re reperiri docet abusus, quos reprehendere intendit, nam vbi suprà §. *15.* dicit motiuum (quod finem vltimũ interpretatur) quo regulares concedunt litteras filiationis, esse deuotionem sinceram ergà Ordinem, hoc est inquit, largitionem eleemosynarum. vt huic rei fiat satis.

9. *Litteræ filiationis dantur ob beneficia iã recepta.*

Sciendum est regulares communicationem bonorum spiritualium illis concedere, qui actu varia beneficia per eleemosynas, aut aliter Ordini præstiterunt, & hoc in gratiarum actionem, id enim patet ex Bulla Iulij II. sæpius citata, vbi bona opera Ordinis non communicat nisi Fundatoribus, Procuratoribus, Tutoribus, & Conseruatoribus, in compensationem scilicet beneficiorum Ordini præstitorum. Et colligitur ex tertia littera filiationis, data per S. P. Franciscum de Paula, *q. 1. sect. 6.* relata, vbi sic ait: *Fernidus deuotionis affectus, quem ad Ordinem nostrum geritis, exigentia digna requirit, vt quia in temporalibus non possumus vicem vestræ charitati rependere; in spiri-*

in ſpiritualibus tamen, quantùm nobis author Deo ſuppetit, proutque in noſtris apud Deum peroptamus deſiderijs, veſtra beneficia gratitudinis debitis compenſemus. Et hoc fateri debet dictus auctor cum ſæpe verba hæc repetat, quæ communiter in litteris ponuntur, ſcilicet, ob deuotionem ſinceram ergà Ordinem, &c.

10. *Æquum & debitum eſt pro temporalibus ſpiritualia rependere.*

Cùm igitur regulares non concedant communicationem bonorum ſpiritualium per litteras, niſi in gratiarum actionem, ob varia beneficia iam actũ Ordini præſtita; per id, non ſolùm opus non vituperandum, ſed rationi, & æquitati valdè conſentaneũ faciunt, eòquod is qui beneficiũ aliquod ab alio accepit, iure naturali, debito gratitudinis obligatur, ad id nouo aliquo beneficio compenſandum; hinc in modernis noſtris litteris participationum ſic habetur: *Æquum eſt, & debitum, vt temporalia beneficia quæ tam abundè metimur; ſpiritualibus noſtris, quatenacumque illa ſint compenſemus.* & Caietanus 2.2. q. 183. a. 4. docet Religioſos non quidem titulo iuſtitiæ, ſed gratitudinis teneri conferentes temporalia, donis ſpiritualibus compenſare: *Inter Religioſos*, inquit, *& Principes, ſeu quoſcumque alios, qui contulerunt eleemoſynas eis, non eſt habitudo ſecundum aliquem cõtractum iuſtitiæ*

propriè

propriè actum, sed solùm secundùm debitum gratitudinis; nam donantes, beneficium eleemosynæ conferunt, & Religiosi naturali iure tenentur tali dono gratiam retribuere suis Religiosis actibus. Si igitur regulares debito gratitudinis, & iure naturali eos qui sibi suis eleemosynis beneficia temporalia præstiterunt, teneantur quoquo modo compensare, & cum non habeant aliud, quo id præstare possint; si ad exoluendum debitum, participationem in bonis suis spiritualibus per litteras filiationis concedant, non quæstum simoniacum, sed rem varijs titulis debitam exercent.

11. *Aliud motiuum aliud finis.*

Ex quo patet beneficia temporalia iam ab amicis prestita, esse quidem motiuum ad conferendas litteras Participationum, non tamen finem, licet hæc duo cõfundat dictus auctor vbi suprà, quæ tamen longè distant, vt patet ex ipsis litteris filiationis, vbi vtrumque vt distinctum exprimitur, nam de motiuo sic habetur: *Feruidus deuotionis affectus, quem ergà Ordinem nostrum geritis, &c.* finis autem his verbis significatur: *Vt talibus adiuti suffragijs, ac bonis operibus, hîc augmentum gratiæ, & in futuro vitam percipiatis æternam.* Deinde hæc duo in alijs materijs facilè distingui possunt: sit v.g. princeps aliquis, qui videns regem in capite

capite exercitus paratum ad ineundum cum hoste prælium, ad eum sequendum, & vnà acriter pugnandum animatur; finis pugnæ est gloria, & merces regia, quæ consequi intendit; motiuum verò, est regis exemplum. Item cum Sacerdos accepta eleemosyna Missam pro aliquo celebrat, licet eleemosyna sit motiuum quo excitatur ad illi fructum Missæ applicandum, finis tamen est salus, & bonum illius pro quo celebrat; aliàs si dictam eleemosynam pro fine sibi reseruaret, grauiter peccaret. Sic igitur cum regulares amicis litteras filiationis concedunt, pro fine habent omnes effectus qui per illas communicantur, licet ex debito gratitudinis, ob eleemosynas receptas ad id moueantur. quo patet motiuum, & finem non debere confundi, vt facit dictus auctor. Interim tamen vt verum fatear, graui reprehensione digni sunt regulares, si ex illis aliqui de motiuo finem faciant, & nil nisi sordidum lucrum & quæstum ex dictis litteris intendant; quod tamen nullo modo colligi potest ex eo quod dictæ litteræ solis amicis & benefactoribus concedantur, cum id vt dictum est, ex iusto debito gratitudinis fiat.

11. Pro maiori huius rei intelligentia, audiendus est Apostolus *ad Philip. 4.* vbi loquens

loquens de eleemosynis à Philippensibus receptis, vt se ab auaritia, & sordido questu purget ait: *Vos Thessalonicam semel & bis in vsum mihi misistis, non quia quæro datum, sed requiro fructum abundantem in ratione vestra.* Quasi dicat, scio ex charitate qua mihi de necessarijs suppeditatis, tantùm fructum meriti vobis prouenire, vt plurimùm inde gaudeam, & requiram non quidem bonum mihi præstitum, sed magnum meriti fructum vobis inde prouenientem. Taliter expurgatos mentis oculos habere deberent regulares in communicatione Euangelij, & bonorum suorum spiritualium, vt in eleemosynis quas inde recipiũt, non tàm proprium commodum, quàm charitatem, & meritum dantis intendant; & tunc dicere poterunt cum Apostolo: *Non quæro datum, sed requiro fructum abundantem in ratione vestra.*

Obijcit Wicleph, Episcopos, & regulares possessionibus abundantes, non communicare externis litteras filiationum, sed solos mendicantes. Verùm solutio patet ex dictis *q. 1. sect. 5. & 6.* vbi Ecclesiam Cantuariensem Ludouico Francorum Regi, plurimosque Episcopos litteras participationis bonorum operum communicasse ostendimus; eamque communem praxim 13.

ab initio fuisse in Ordinibus non mendicantibus, scilicet D. Benedicti, Bernardi, & Carthusianorum; proindeque non esse inuentionem Ordinum mendicantium, vt quidam malitiosè calumniantur.

SECTIO TERTIA.

Quòd æquum sit etiam, vt temporalia ministrent illi, quibus conferuntur spiritualia, & quantus indè fructus oriatur.

14. *Est quædam communicatio inter spiritualia & temporalia tribuentes.*

GRegorius *l. 1. in Ezech. hom. 7.* super illud: *Pennæ eorum alterius ad alterum*, duas illas pennas dantibus spiritualia, & temporalia retribuentibus comparat: *Dum dines*, inquit, *porrigit alimentum, atque vestimentum pauperi, & dum pauper orationem suam animæ dinitis impendit, pennæ animalium rectè alterius ad alterum tenduntur.* & paulò post: *Vicissim nobis pennas nostras tendimus, vt nos affectu & ope vicaria, ex bono quod accepimus tangamus.* Huic arridet Apostolus *ad Philipp. 4. Nulla mihi Ecclesia commun-*

communicauit in ratione dati, & accepti. & ad Rom. 15. Probauerunt Macedonia & Acaia collationem aliquam facere in pauperes Sanctorum qui sunt in Ierusalem, placuit enim eis, & debitores sunt eorum. Nam si spiritualium eorum participes facti sunt gentiles, debent & in carnalibus ministrare eis. Quorum spiritualium? respondet Waldensis *vbi supra c. 99. Prædicationum, Orationum, Vigiliarum, abdicationum proprietatis.* & Haimo in hunc locum quærit, cur Macedonij & Acaici dicantur debitores Sanctorum qui sunt in Ierusalem, & respondet: *Quia die ac nocte pro salute illorum orationibus insistebant, vt fides Christi in eis roboraretur.* Videtur igitur Apostolus facere mutuam quandam communicationem inter spiritualia, & temporalia, vt patet ex Græco, quòd enim ait, collationem facere, in Græco est, communionem, seu communicationem; est igitur mutua quædam communicatio inter spiritualia, & temporalia sibi mutuò tribuentes; itaut qui recepit spiritualia, siue per communicationem Euangelij, aut orationum, & aliorum bonorum operum, dicatur debitor, eòquod debito gratitudinis temporalia rependere debeat. Hinc idem *1. Cor. 9. Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus.*

15. Vbi notandum temporalia non esse mercedem spiritualium, scilicet Prædicationis Euangelij, aut communicationis bonorum operum, licet illa titulo gratitudinis debeantur, vt Augustinus *de mulier forti Serm. 23.* loquens de Apostolo ait: *Ille qui sic vendit, non quærit datum, sed requirit fructum, ne quasi venaitorem Euangelij putetis. Est quidem ille mercator domini sui, sed maius pretium quærit, nam quidquid prorsus vendidit, dat spiritualia, & quid quærit, fortè carnalia? debentur quidem & ipsa. sed non ipsa quærebat Apostolus dicens: non enim quæro vestra, sed vos ipsos.* Si igitur Religiosus communicatione bonorum spiritualium, alijsque ministerijs spiritualibus, proximi salutem ex charitate quærit, rem verè piam, & meritoriam operatur; & si is qui in spiritualibus illius cõmunicat, quippiam suorum temporalium, ad Religionis inopiam subleuandam largitur, dicere tunc potest, debentur quidem & ipsa, sed & merces & finis horum spiritualium, longè sublimior est.

16. Hanc rationem debiti rectè nouerat Onias Rex Spartiatarum, nam postquam *1. Machab. 12.* Ionathas summus Sacerdos Iudæorum misit ei Epistolam de renouatione amicitiæ, & Fraternitatis, qua promittebat

mittebat participationem in Sacrificijs, & alijs obseruationibus, id est, vt Liranus, *in Oblationibus, Vigilijs, & Orationibus*: ob hanc participationem in spiritualibus, se debitorem reputans Onias, statim respondet: *Ex quo hæc cognouimus, benefacitis scribentes nobis de pace vestra, sed & nos rescripsimus vobis, pecora nostra, & possessiones nostræ, vestræ sunt.*

17. *Quantus fructus oriatur dantibus temporalia illis qui ministrant spiritualia.*

Tanta autem est virtus & efficacia eleemosynæ, & subsidij temporalis præstiti ministrantibus spiritualia, vt per hoc solùm quòd quis eos suis temporalibus adiuuat, dicatur cooperari, & participare in bonis illis spiritualibus. hinc Gregorius *hom. 20. in Euangelia*, explicãs illa verba *Matthæi 10. Qui recipit Prophetam, &c.* ait: *Quid est enim dicere mercedem Prophetæ accipiet, nisi quia is qui Prophetam sua largitate sustentat, quamuis ipse Prophetiam non habeat, apud omnipotentem tamen Dominum, Prophetiæ præmia habebit, iste enim fortasse iustus est, & quantò in hoc mundo nihil possidet, tantò loquendi pro iustitia, fiduciam maiorem habet: hunc dum ille sustentat, qui in hoc mundo aliquid possidet, & fortasse adhuc pro iustitia loqui liberè non præsumit, iustitiæ illius libertatem sibi participem facit, vt cum eo pariter iustitiæ præmia recipiat, quem sustentando adiunit.* & paulò

post explicans illud *3. Ioan. 8. Vt cooperatores simus veritatis*, addit: *Qui enim spiritualia dona habentibus, temporalia subsidia tribuit, in ipsis donis spiritalibus cooperator existit; nam cum pauci sint qui spiritalia dona percipiant, & multi qui rebus temporalibus abundant, per hoc se diuites virtutibus pauperum inserunt, quo eisdem sanctis pauperibus de suis diuitijs solatiantur.* & prosequitur explicans illud *Isay. 41. Ponam desertum in stagna aquarum*, vbi inter alia Deus promittit vlmum, super quo ait: *Et quis per vlmum, nisi sæcularium mentes expressæ sunt? quæ dum terrenis adhuc curis inseruiunt, nullum virtutum spiritalium fructum ferunt; sed etsi fructum proprium vlmus non habet, portare tamen vitem cum fructu solet, quia & sæculares viri intrà sanctam Ecclesiam, quamuis spiritualium virtutum dona non habeant, dum tamen sanctos viros donis spiritalibus plenos, sua largitate sustentant, quid aliud quam vitem cum botris portant.*

Chrysostomus *in cap. 1. ad Philipp. Serm. 1.* in illud: *Super communicatione vestra in Euangelio*, ait: *subsidium ferre, hoc est communicatio in Euangelio: etenim quandò ille quidem prædicat, tu verò prædicantem foues, & adiuuas, illius coronæ communes tibi fiunt.* & paulò post: *Profudit quisquam magnam pecuniæ*

pecuniæ vim propter Deum, assiduè adhæret Deo, eximiæ virtutis officijs fungitur, magnam adhibens diligentiam, ne vel in verbis, aut cogitationibus ipsis, vllâve alia re labatur: in tua manu est, quamuis tantundem diligentiæ non adhibueris, repositas illi pro tot laboribus mercedes communes tibi facere. quomodo? si illum cures, foueasque, & sermone, & reipsa: si consoleris eum, suppeditans necessaria, tùm in omni ministerio inseruiens. Tu enim is es qui asperam illam viam faciliorem ipsi facies. Quamobrem si admiramini illos qui in eremo viuunt, qui vitæ rationem planè angelicam susceperunt, qui in Ecclesijs eadem atque illi virtutis obeunt munera: si admiramini, inquam, ac doletis tam longo vos interuallo ab illis abesse: licet vobis alia quadam ratione cum illis coire Societatem, id est inseruiendo, curando, ac fouendo. Nam & hoc Dei benignitatis est, eos etiam qui negligentiores sunt, nec duram illam, asperam, exquisitam viuendi rationem suscipere possunt, rursus per aliam viam, ad eundem atque illos gradum promouere. atque hoc illud est quod Paulus communionem vocat: communicant nobis, inquit, & impartiunt carnalia, & nos illis communicamus spiritualia. Nam quemadmodum Deus pro exiguis ac nullius ponderis rebus, regnum largitur: ita & illius serui, pro exiguis ac sensibilibus, spiritualia

impartiunt; immò verò ipse est qui per hos, & hæc, & illa dat. non potes iciunium ferre? non solitudinem? non humi cubare? non integras noctes vigilare? licet tibi harum omnium rerum mercedem accipere, si alia quadam ratione rem tuam gesseris: nempe si eum qui istos labores capit, cures, recrees, foueasque assiduè, & laborem qui in istis certaminibus sustinetur, lenem reddas; ille quidem stat pugnans, ac vulnera excipiens: tu verò à certamine redeuntem cura, obuijs manibus suscipe, sudorem absterge, recrea, solare, lassam animam pasce, ac refice, profectò si tanta cum alacritate sanctis inseruiamus, participes mercedum quæ illos manent erimus. Idem Chrysostomus *hom. 38. in Matt.* de receptione Prophetæ etiam loquens, ait: *hunc cum ille sustentat, qui in hoc mundo aliquid possidet, illius iustitiæ libertatem sibi participem facit, & cum eo pariter iustitiæ præmia recipiet, quem sustentando adiuuit.*

19. Quod autem adiuuantes ministerijs, & bonis temporalibus eos, qui in spiritualibus laborant, fiant participes bonorum illorum spiritualium, docet Apostolus *ad Hebr. 10. Socij taliter conuersantium effecti.* & rationem reddit: *Nam & vinctis compassi estis.* super quo Remigius: *Dicit factos socios, quia mercedem quam recipiet prædicator positus in carcere, recepturus est is, qui ijs ministrat.*

ministrat. In quo certè Religiosi imitantur Apostolum, dum per suas litteras filiationum, socios dicunt prædicationis, afflictionis, & vigiliæ, eos qui benefaciendo ipsis compatiuntur: tales socios meritorum fecerunt Apostoli, & tales faciunt modo Religiosi, vt ait Waldensis: vbi suprà *cap. 102.*

SECTIO QVARTA.

Quod optanda, & quærenda sit hæc Participatio bonorum spiritualium Religionum.

CVm igitur ex litteris Participationum, quibus amici Religionum ad consortium bonorum operum recipiuntur, fructus tam varij, & multiplices oriantur; non solùm optandà, sed & auidè quærenda est hæc communicatio; quòd etiam consulit Paludanus *in 4. d. 20. q. 3.* cum ait: *Consulendum est diuitibus & nobilibus, quòd quærant participium bonorum, quæ in Religionibus fiunt, vbi etiam sunt plures pœnalitates, quam alibi, & magis acceptæ Deo quam*

20. *Optanda, & quærenda est communicatio bonorum operum Religionum.*

quam alibi, & quod in pœnitentiam imponatur eis, non solùm bona quæ facient per seipsos, sed quæ per alios, vel ab alijs procurabunt, & omnia quorum specialiter participes erunt, & huiusmodi. Cui quadrant etiam verba Nauarri *Misc. 11. de Rosar. n. 3.* de Confraternitate Rosarij, in qua est etiam bonorum communicatio loquentis: *Maximè desideranda est, & per consequens maximi facienda hæc communicatio, qua tot orationes, & merita tot Confratrum, & in his tot millium Religiosorum selectorum speciatim, quamuis non singulatim cuique Confratri applicantur.*

Quanta autem sint illa bona operâ quæ ab integro Ordine vbique terrarum fiunt, quis enumerare valeat? Platus *lib. 1. de bono statu Religiosi, c. 29.* ea sic generatim enumerat: *Sunt illa primùm interna; oratio, & contemplatio, perpetua cupiditatum mortificatio, pugnæ, & victoriæ tentationum, denique cogitationes omnes incensæ charitate, humilitate, alijsque virtutibus. Deinde illa etiam quæ iam foras prodeunt; corporis maceratio, ieiunia, vigiliæ, quotidiana incommoda, officia humilitatis: tum etiam quæ in proximorum causa tolerantur, labores, æstus, frigora, itinera, sæpe etiam pericula ipsius vitæ.* Deinde addit, de Religiosis loquens, & idem applicari potest sæcularibus receptis ad participium bonorum

bonorum operum: *Quid autem maius, aut optabilius in hac vita, quam in suo quemque, si ita iubeatur, cubiculo considentem*, aut domo commorantem, *Participem esse omnium laborum, quos Ordo vniuersus per tot Vrbes, tot Prouincias diffusus, in Dei obsequio perfert, meditando, concionando, animabus iuuandis, & postremò vel multis piè, sanctèque agendis, vel multis fortiter, constanterque patiendis.*

21. *Varij fructus participationum.*

Hæc igitur omnia, in quibus recepti ad communionem bonorum operum participant, varios etiam ad multiplices fructus in illis producunt, nam licet indè illis non conferatur immediatè gratia iustificans, mediatè tamen acquiritur per collationem variarum gratiarum præuenientium, quæ sæpe non modò sufficientes, sed etiam efficaces per aliorum merita tribuuntur; & hoc est quod docent Doctores, aliorum bona operá mereri posse alteri de congruo gratiam iustificationis. Deinde participatio hæc bonorum operum, tristibus, gaudium spirituale tribuit; dæmonis tentationibus afflictis, eum debilitando succurrit; peccati tenebris excæcatos, diuinæ gratiæ radijs illuminat; vitiorum onere oppressos erigit, & ad conuersionem excitat; variaque dona spiritualia, & temporalia per solam impetrationem indirectam

rectam largitur; ad hæc si quis Ordini hoc modo associatus à Deo quippiam pro se, aut alijs impetrare desiderat, licet quantùm est de se, exauditione iudicetur indignus, omnia Ordinis cui associatus est merita, velut aliquo modo sibi propria, solùm Deo offerat necesse est, & magnum impetrationis fructum inde recipiet. Audiendus est hac in re Platus vbi suprà: *Si tentatio irruat, hæc nobis arma impetrant, quibus muniamur: si propria imbecillitate fluctuemus, hæc efficiunt, vt firmitas, & constantia tribuatur: si aliquid à Deo petendum est, vel ob aliam causam coram Dei maiestate apparendum, non verendum est, ne vacui appareamus in eius conspectu, quandò non nostra solùm, sed aliorum etiam benefacta nos ei commendant, & in nostras preces influunt, eisque gratiam, & pondus addunt. Quid plura? ipsa nostra tepiditas, ipsæ culpæ ac peccata, his eisdem eorum officijs ita compensantur, vt plus hæc officia possint ad Deum conciliandum, quam illæ culpæ ad irritandum.*

22. Insuper vltrà omnem hunc fructum impetrationis, non exigua etiam indè oritur satisfactionis acquisitio, ex omnibus sacrificijs, orationibus, alijsque bonis operibus, quæ generaliter pro omnibus Religionis

gionis membris Deo offeruntur. Sed omnia excedit satisfactionum superabundantium participatio, quæ ex probabili sententia Ordini associatis verisimiliter applicari suprà dictum est: quam magnus is est diuitiarum spiritualium thesaurus, nam licet ad instar thesauri Ecclesiæ, postea applicandæ non asseruentur; maximum tamen in omnibus satisfactionis fructum, per præuentionem operantur.

Denique prædicti omnes fructus non 23.
solùm in vita, sed & post mortem effectum sortiuntur: videre enim est animas in medio flammarum lustralium cruciatas, ob dictam associationem, diuinis consolationibus recreari, gaudijs spiritualibus animari, ipsaque exinde tormenta alleuiari; nec solùm, sed vltrà plurimas satisfactiones, quæ illis ob id generaliter applicantur, probabiliter etiam in varijs Ordinis satisfactionibus superabundantibus communicant, quibus certè non modicum emolumentum illis prouenire existimandum est.

O igitur optandam, & exquisitione 24.
dignam associationem, vndè fructus tam multiplices exuberant, & in defunctos æquè ac viuos diffunduntur! verè fœlices illi qui bonorum operum Religionis cuiusdam consortio gaudent, per quod in

sæculo

sæculo degentes, in bonis operibus Religiosorum participant; comedentes in ieiunijs; dormientes in vigilijs; & sine rigoris & mortificationis sufferentia, in omnibus meritis & austeritatibus Religiosorum communicant; in media arena cum hoste dimicantes, & à prælio reuertentes solùm inspiciunt, coronæ tamen suo modo communes fiunt; denique vt *1. Reg. 30.* euntis ad prælium, & ad sarcinas remanentis, aliquo modo æqualis est fructuum spiritualium participatio; & tandem per hanc Societatem, facilius Deo, & Sanctis in gloria sociari valent: vndè D. Thomas *in cap. 1. Ep. 1. Ioan. sic ergo per Societatem Sanctam, transitur ad Societatem diuinam; ergo per nostram Societatem transibimus ad Societatem Dei. Prima est gratiæ in præsenti, Secunda gloriæ in futuro.* Et hæc de Participationibus sufficiant, pro quo sit,

SOLI DEO HONOR,

ET GLORIA.

INDEX

INDEX RERVM, ET VERBORVM.

A.

Abbates ex vi officij non possunt concedere Indulgentias subditis. q. 3. n. 2.

Communicatio bonorum spiritualium, est mystica adoptio. q. 4. n. 7.

Similitudo inter adoptionem hanc mysticam, & civilem. n. 8.

Antiquitas Participationum ex veteri testamento ostenditur. q. 1. n. 1.

Antiquitas Participationum ex Christo ostenditur ibidem. n. 7 ex Apostolis. n. 11. ex Communione Sanctorum n 16.

Apostolus reddidit alios participes non solùm orationum, sed & bonorum operum n. 12.

Apostolus non solùm communicauit fructus ortos ex generali Communione Sanctorum, sed specialem suorum bonorum communicationem

nem fecit. n. 14.

In applicatione bonis operis, voluntas Prælati prænalet supra subaitum, cum fit in exonerationem onerum conuentus. q. 5. n. 9.

Nunquam Prælatus applicabit, nisi subditus concurrat per voluntatem ad minùs virtualem n. 12 applicatio fructus sacrificij facta à subdito offerente prænalet. n 15. idque in omni casu. n. 17.

Bonorum operum communicatione, optimè omnium vsus est Anselmus. q. 1. n. 21.

Idem communicauit bona sua opera præterita. q. 6 n. 4.

Augustus Cæsar ob vnum Arium Philosophum pepercit tibi Alexandriæ. q. 6. n. 14.

B.

S. Benedictus Tertullum Patricium reddidit participem bonorum operum. q. 1. n. 24.

Apud Benedictinos, parentes Religiosorum participant in bonis operibus Ordinis. q. 7. n. 1.

Bona opera præterita aliis prodesse possunt per modum repræsentationis, & applicationis obiectiuæ. q. 6 n. 3. aliis sæpè prosunt sine actuali repræsentatione. n. 4.

Bona spiritualia, vt sacrificia, icinnia, &c. rectè in litteris filiationum enumerantur. q. 8. n. 2.

Statuta

C.

Statuta Carthusiensia varias personas reddunt participes bonorum operum Ordinis. q. 1. n. 25. q. 7. n. 21.

Quid possit Capitulum generale super communicatione bonorum spiritualium. q. 4. n. 6.

Christus est caput mysticum Ecclesiæ influens in omnia illius membra. q. 1. n. 7.

Christus est auctor Participationum Religiosarum. ibidem.

Quantum superet Communicatio Meritorum Christi, Communicationes Religiosorum. ibidem.

Fructus quorum Christus fecit nos Participes. n. 8.

Christus dedit chirographum Participationum sicut faciunt regulares. n. 9.

Ad Christi imitationem regulares concedunt litteras Participationum. n. 10.

Cistercienses Fridericum Imperatorem ad consortium bonorum operum receperunt. q. 1. n. 26.

Communio Sanctorum quæ est in Ecclesia ortum dedit participationibus Religiosis. q. 1. n. 16.

Quid Communio Sanctorum quæ est in Ecclesia. n. 17.

Laus Communionis Sanctorum ex Navarro. n 18

Vltrà generalem Communionem Sanctorum, est specialis in singulis Ordinibus. n. 18.

Effectus Communionis Sanctorum. q. 2. n. 1.

Communio Sanctorum est inter Ecclesiam militantem, triumphantem, & patientem. q. 2. n. 2.

Communio Sanctorum fundamentaliter consistit in quibusdam externis, & internis. q. 2. n. 2.

Continet thesaurum Ecclesiæ. n. 4. dicit etiam communicationem in orationibus per specialem intentionem. n. 5.

Item in omnibus Sacrificijs, per intentionem generalem. n. 6. & in omnibus bonis operibus ex radice charitatis. n. 7.

Variæ differentiæ inter Communionem Sanctorum, & participationes. n. 9.

Communicatio bonorum spiritualium est mystica quædam adoptio. q. 4. n. 7.

Recepti ad Communionem bonorum operum non recipiunt partem fructus illorum. q. 6. n. 6. Sed omnia bona opera Ordinis concurrunt obiectiuè ad impetrandum multa bona. n. 7. Nec ad id requiritur specialis intentio. ibidem. Non communicantur omnia bona opera

opera quoad meritum, & satisfactionem. n. 8.

Inter Religiosos, & receptos ad communionem bonorum operum, fit mutua communicatio. n. 12.

Varij effectus conferuntur per participationes, qui non conferrentur per Communionem Sanctorum. n. 15.

Communicatio bonorum spiritualium per litteras, non est contra doctrinam Ecclesiæ, nec S. Sedis auctoritatem. q. 8. n. 3.

Optanda, & quærenda est communicatio bonorum operum.

D.

PArticipationes prosunt defunctis, cum id in litteris exprimitur. q. 7. n. 5. etiam cum non exprimitur. n. 6.

Valdè vtiles sunt Participationes defunctis, & prosunt ad varios effectus. n. 8.

E.

IN receptione eleemosynarum Apostolus plus quærebat fructum spiritualem dantium, quam proprium commodum. q. 8. n. 12.

Eleemosyna facta ministrantibus spiritualia, ex se reddit eos participes spiritualium. n. 17.

Qui dat eleemosynam ministr antibus spiritualia, est cooperator spiritualium. ibidem.

Episcopi solo iure humano habent potestatem concedendi Indulgentias. q. 3. n. 2.

F.

S. P. Franciscus de Paula varijs litteris fecit amicos participes bonorum operum Ordinis. q. 1. n. 28.

Fridericus Imperator magna cum devotione rogauit participationem bonorum operum Cistercicnsium. q. 1. n. 26.

Forma Participationum regularium colligitur ex verbis Apostoli. q. 1. n. 11.

Varij fructus Participationum colliguntur ex veteri testamento. q. 1. n. 6.

Quomodo fructus bonorum operum sit materia obedientiæ. q. 1. n. 1.

Fructus bonorum operum applicatur secundum intentionem subditi. q. 5. n. 6.

Fructus participationum per impetrationem directam. q. 6. n. 13. & per impetrationem indirectam. n. 14.

Fructus impetrationis quandoque maior est, quam qui datur ex iustitia. ibidem.

Fructus impetrationis directæ maior est quo ad plures extenditur. n. 17.

Differentia fructus satisfactionis, & impetrationis. n. 23.

Fructus generaliſſimus bonorum operum fidelium applicatur alijs intentione virtuali, ſeu interpretatiua. n. 30.

Prælati per participationes applicant fructus Religionis quantum poſſunt. n. 31.

Monaſterium Fuldenſe iniit Societatem bonorum operum cum multis alijs q. 1. n. 24.

Magna deuotio cuiuſdam presbiteri ad communicandum in bonis ſpiritualibus Fuldenſis Monaſterij. ibidem.

G.

IOannes Gerſon magni æſtimat ſe communicare in bonis operibus Carthuſianorum. q. 1. n. 25.

Generales Ordinum non poſſunt dare Indulgentias ſubditis ex vi officij. q. 3. n. 2.

Poteſt Generalis Ordinis communicare bona opera totius Ordinis. q 4. n. 3.

I.

IMpetratio. Vide fructus.

Inter cauſam impetrantem, & effectum debet eſſe aliqua proportio. q. 6. n. 18. fructus impetrationis aliquo modo minuitur ob pluralitatem. ibidem. ſæpe Deus non attendit illam proportionem. n. 19.

Variæ differentiæ Indulgentiarum, & participationum. q. 3. n. 12. qualiter Indulgentiæ plus prosint. n. 16.

Jonathas summus Sacerdos Iudæorum reddidit Spartiatas Participes Sacrificiorum, & aliarum obseruationum. q. 1. n. 1.

Bonum est habere varias intentiones in applicatione fructus boni operis. q. 6. n. 33.

Julius II. per Bullam reddit Fundatores, & alios participes bonorum operum Ordinis Minimorum. q. 1. n. 28.

Cum anno Iubilæi suspenduntur Indulgentiæ, non suspenduntur litteræ filiationis. q. 3. n. 15.

Ob paucos iustos Deus parcit toti communitati. q. 6. n. 14.

Quò plures sunt iusti in aliqua Religione, plura Deus confert beneficia Ordini, & illi associatis, & quò plures mali, minora. n. 20.

L.

LVdouicus Rex Francorum fuit factus particeps bonorum operum Cisterciensium, & Ecclesiæ Cantuariensis. q. 1. n. 22.

M.

S. Maurus Theodebertum Regem reddidit participem bonorum operum. q. 1. n. 24.

Non

Non soli Religiosi mendicantes dant litteras filiationum q. 8 n. 13.

Bonum est offerre Deo omnia merita Ordinis ad impetrandum aliquid. q. 6. n 5. consulendum est vt id fiat pro morientibus, & defunctis. ibidem.

Prælati regulares verè dici possunt communicare alijs merita subditorum. q. 6. n. 10.

Quo sensu merita dicuntur alijs communicari. n. 11. est de fide quòd Merita vnius prosunt alijs. ibidem.

Apud Minimos Tertiarij participant in bonis operibus Ordinis. q. 7. n. 2. eiusdem Ordinis Fundatores, & varij alij declarantur in ijsdem participare per Iulium II. Aliud motivum, aliud finis. q. 8. n. 10.

Mundus sustentatur & defenditur per bona opera iustorum. q. 1. n. 26.

Sancti Dominicus, & Franciscus cum suis mundi ruinam impediunt. q. 6. n. 14.

S. Francisci de Paula præsentia impedit flagella Italiæ. ibidem.

P.

FOrma ordinaria Participationum. n. 1.

Vsus Participationum colligitur ex praxi Patrum. q. 1. n. 19.

Quilibet, etiam peccator participat in fructu

impetrationis directæ, vel indirectæ. q. 6. n. 22

Amici per litteras filiationis verè participant in bonis operibus Ordinis. q. 8. n. 3.

Litteræ Participationum dantur ob beneficia iam recepta. n. 9.

Pennæ animalium Ezechielis comparantur dantibus spiritualia, & retribuentibus temporalia. n. 14.

Prælati regulares ad Christi imitationem vtuntur Participationibus. q. 1. n. 8. & Apostolorum. n. 12.

Prælati regulares possunt habere potestatem delegatam concedendi Indulgentias. q. 3. n. 4.

Post visitationes possunt concedere Indulgentiam plenariam subditis. ibidem.

Prælati Ordinis Minimorum singulis triennijs possunt Fratribus, Fundatoribus, &c. Indulgentiam plenariam concedere. ibidem.

Prælatus inferior Generali, non potest communicare alijs bona opera totius Ordinis. q. 4. n. 1.

Prælatus potest præcipere subdito, applicationem bonorum operum. q. 5. n. 5.

Prælatus non potest applicare alijs satisfactiones præteritas subditorum. q. 6. n. 1.

Potest tamen applicare bona opera præterita ad effectum impetrationis. n. 2.

Prælatus potest habere potestatem applicandi per participationes, satisfactiones superabundantes Ordinis. n. 27. quid requiratur ex parte subditi; quid ex parte Prælati. n. 28.

Prælati applicando satisfactiones superfluas subditorum, non vtuntur clauc Ecclesiæ, sed fit per præuentionem. n. 33.

Prouinciales, & superiores locales possunt bona opera subditorum alijs communicare. q. 4. n. 4.

Non solis Prælatis, sed etiam conuentui competit bona opera congregationis communicare. n. 5.

R.

Recepti ad participationem bonorum operum, olim inscribebantur in quadam ephemeride. q. 1. n. 22.

Ex Regula S. Benedicti probantur Participationes. q. 1. n. 24.

Religiosus per professionem se totum tradit Religioni. q. 5. n. 2.

Religiosus non se priuat dominio bonorum operum. n. 3. potest alijs promittere fructus bonorum operum. n. 4.

S.

PArticipationes prosunt etiam quoad satisfactiones. q. 6. n. 25.

Probabile est satisfactiones superfluas applicari receptis ad consortium bonorum operum. n. 29.

Fideles satisfactiones superfluas intentione virtuali reponunt in thesauro Ecclesiæ. n. 30.

Pro applicatione satisfactionum superfluarum per Participationes, consulitur Prælatis, & subditis intentio actualis. n. 32.

Satisfactiones superfluæ applicantur per Indulgentias, ne maneant inutiles. n. 33.

Eligentes sepulturam in Ecclesijs mendicantium participant in bonis operibus conventus. q. 7. n. 4.

Similitudo inter litteras Ionabbæ summi Sacerdotis, & litteras Participationum. q. 1. n. 7.

Similitudo inter communicationem Meritorum Christi, & Religiosorum. ibidem n. 8.

Similitudo inter verba Apostoli, & litteras Participationum regularium. n. 11.

Similitudo inter contractum Societatis, & litteras filiationis. q. 6. n. 12.

Subditus applicans fructum boni operis contra voluntatem Prælati, validè, sed illicitè

illicitè applicat. q. 5. n. 6.
Subditi relinquunt Prælatis potestatem applicandi per participationes satisfactiones superfluas. q. 6. n. 31.

T.

ÆQuum & debitum est pro temporalibus spiritualia rependere. q. 8 n. 10.
Æquum etiam est, vt temporalia ministrent illi, quibus conferuntur spiritualia. n. 16.
Temporalia non sunt merces spiritualium. n. 15.
In singulis Religionibus non est thesaurus aliquis particularis satisfactionum. q. 3. n. 7.
Non est etiam thesaurus particularis in singulis diœcesibus. n. 11.

V.

VAlor moralis operis pendet intrinsecè ex intentione operantis. q. 5. n. 7.

FINIS.

APPROBATIO CENSORIS.

LIber iſte, *de Participationibus, ſeu Communione bonorum operum Religionum*, Auctore R. P. ANTONIO RYTEO Ordinis Fratrum Minimorum Religioſo, vtpote ſacræ doctrinæ, & Sanctorum Patrum ſcriptis conformis, in lucem mitti poterit. Datum Montibus Hannoniæ, die 22. Nouembris 1636.

GREGORIVS VANDER-GHEEST
S. T. L. Eccleſiæ Collegiatæ S. Germani Canonicus, Librorum Cenſor.